

**VISITA PASTORALE DI LEGNAGO
DI GIOVANNI BRAGADINO**

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1740 Liber sextus

REGISTRO LXII



1740

[A margine: LEMNIACI]

PRIMA VISITATIO ECCLESiarUM
VERONENSIS DIAECESIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI
EPISCOPI VERONENSIS COMITIS ET CETERA
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRELATI DOMESTICI ET ASSISTENTIS
LIBER SEXTUS
LXII

Bernardo Ronchi Cancellario

Scalla per la visita di maggio 1740

Da Bovolone ad Angiari – miglia 5 – anime 1050 – oratorii 2: martedì 4 maggio sera, giovedì 5, venerdì 6 – sabato 7 mattina.
Legnago San Martino- miglia 3 – anime 1200 – oratorii 5: sabato 7 sera, domenica 8, lunedì 9, martedì 10, mercoledì 11 mattina.
Legnago San Pietro – miglia 1 – anime 1300 – oratorii 4: detto 11 sera, giovedì 12, venerdì 13 mattina.
Vangadizza – miglia 2 – anime 900: venerdì 13 sera, sabato 14, domenica 15 mattina.
Vigo San Martin – miglia 1 – anime 900: domenica 15 sera, martedì 17, mercoledì 18 mattina.
Villa Bartholomea – miglia 2 – anime 960: mercoledì 18 sera, giovedì 19, venerdì 20.
Spinimbecco – miglia 1 – anime 310: sabato 21 mattina.
Carpi – miglia 2 – anime 630: sabato 21 sera, domenica 22, lunedì 23.
Castagnar – miglia 2 – anime 1350 – oratorii 1: martedì 24, mercoledì 25, giovedì 26.
Villabona – miglia 2 – anime 820: venerdì 27, sabato 28 mattina. Qui si passa l'Adice.
Begosso – miglia 3 – anime 680: sabato 28 sera, domenica 29, lunedì 30 mattina.
Nichesola – miglia 1 – anime 400 – oratorii 1: lunedì 30 sera, martedì 31, mercoledì primo giugno mattina.
Terazzo – miglia 2 – anime 800 – oratorii 1: mercoledì primo detto sera, giovedì 2, venerdì 3.
Marega – miglia 3 – anime 560: sabato 4 giugno mattina, domenica 5, lunedì 6.
Boschi Sant'Anna – miglia 1 – anime 700 – oratorii 1: detto lunedì 6.
Bevilaqua – anime 740 – oratorii 2: martedì 7 mattina, mercoledì 8.
Legnago – miglia 2 – Monache San Bortolamio: giovedì 9 mattina, venerdì 10, sabato 11.
Porto – anime 2400 – oratorii 5: domenica 12, lunedì 13.
Martedì 14 giugno 1740 a Verona.

Indice delle parrocchiali

- A** – Angiari San Michel carta 2.
B – Begosso San Lorenzo c. 99 – Boschi Sant’Anna c. 125 – Bevilaqua Sant’Antonio abate c. 125.
C – Carpi Santa Margarita c. 71 – Castagnar San Nicolò c. 78.
L – Legnago San Martino c. 12 – Legnago San Pietro c. 34 – Legnago monache San Bortolamio c. 140 tergo.
M – Marega San Giorgio c. 119 e 129^v.
N – Nichesola San Pietro Celestino c. 105.
P – Porto San Pietro c. 150.
S – Spinimbecco Santa Maria c. 67.
T – Terazzo San Paolo c. 111.
V – Vangadizza Santa Maria c. 46 – Vigo San Martino c. 52 – Villa Bortolamea San Bortolamio c. 59 – Villa Bona Santa Maria c. 93.

Indice degl’Oratori

- A** – Sant’Antonio di Terra Negra sotto San Martin di Legnago c. 24^v – Sant’Anna sotto Castagnar c. 80 – Sant’Agostino sotto Castagnar c. 81 – Sant’Anna sotto Terazzo c. 114 – Sant’Antonio di Padova sotto Bevilaqua c. 136t – Sant’Agostino di Ca’ Nove sotto Porto c. 160^v.
B – Beata Vergine della Bragadina sotto San Pietro di Legnago c. 37 – Beata Vergine del santissimo Rosario sotto Carpi c. 77 – San Benedetto di Ronchi sotto Porto c. 160^v.
C – Santa Croce sotto Angiari c. 7^v – San Carlo sotto San Martin di Legnago c. 22 – Santa Croce sotto Terazzo c. 113.
D – Disciplina sotto San Martin di Legnago c. 19^v.
F – San Francesco della Paganina sotto San Pietro di Legnago c. 36 – Santi Filippo e Giacomo sotto Nichesola c. 108.
G – Santa Giustina sotto Sant’Anna de Boschi c. 129 – San Gerolamo sotto Porto c. 160^v.
M – San Michel del Paradiso sotto Vangadizza c. 49^v – San Marco di Boschi Cornari sotto Porto c. 161.
N – San Nicola da Bari sotto Porto c. 160^v.
O – Ospitale de soldati sotto San Martin di Legnago c. 23.
P – Santi Pietro e Paolo sotto Bevilaqua c. 137.
S – Santo Spirito sotto San Martin di Legnago c. 26 – San Salvador sotto San Pietro di Legnago c. 37^v.
V – Santi Vito e Modesto sotto Porto c. 160^v.

[1] In nomine Domini. Die mercurii 27 mensis aprilis 1740, sede pontificia vacante, illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et pontificii solii assistens, cum usque adhuc impeditus in iuribus suae ecclesiae tuendis episcopale suum munus in visitandis ecclesiis suae veronensis diaecesis, prout pastoris incumbit officio, implere non potuerit, ad illum exercendum temporibus istis animum suum revocavit. Itaque visitationem suam pastorem in partibus Lemniaci dictae suae veronensis diaecesis habere decrevit eamque pro die 4 proxime futuri mensis maii incipere volens, solita intimationis aedicta typis tradita promulgavit et ad ecclesias visitandas sub litteris eius curiae transmisit. Sumptis ideo secum admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum caeremoniarum magistro duobusque sacerdotibus familiaribus suis cappellanis aliisque eius famulis, mane diei suprascripti, praevia humili oratione ante sanctissimum Sacramentum in cathedrali sua ecclesia, campanis eiusdem tinientibus, habitu episcopali viatorio indutus, rhedam conscendit et [1^v] Bodolonum versus iter arripuit, inibi negotiorum causa episcopatus sui suaeque iurisdictionis in dicto loco peragendorum usque praedictam suae visitationis diem permansurus. Interim vero duos ex admodum reverendis patribus ordinis sancti Francisci refformatorum, nempe reverendum patrem fratrem Sanctum a Verona et reverendum patrem fratrem Lucam de Leonato, praemisit qui, ut huiusmodi visitationis uberiores fructus colligantur, missionis munere fungantur. Die quarta praedicta mensis maii perventa, humili oratione in parochiali ecclesia Bodoloni praemissa, secum sumptis nobili et reverendissimo domino Petro Paulo Franchini iuris utriusque doctore, canonico theologo et in hac visitatione eius vicario deputato, antedicto magistro caeremoniarum, me visitationis cancellario et suis duobus cappellanis aliisque eius famulis, hora vigesima prima circiter rhedam suam ascendit et, relicto Bodolono, Englarium versus iter fecit. Ad confinia Englarii perventus, tubis salutatur et obvios habuit nonnullos milites

equestres, a quibus reverenter recipitur et admodum reverendum dominum Augustinum Busti sacrae theologiae doctorem, dicti Englarii loci archipresbyterum, cum aliquibus [2] suis sacerdotibus, qui plurimae suae devenerationis argumentis praestitis, se comitem dedit. In itineris progressu eidem occurrunt et milites pedestres tympanis sonantibus, quibus stipatur et, omnibus cum laetitia dominationi suae illustrissimae et reverendissimae deservientibus, iter progreditur. Non procul ab ecclesia pueros et puellas doctrinae christianae processionaliter dispositos ac pias laudes decantantes nec non clerum ac populum genibus flexis humiliter devenerantem invenit, quibus frequenter paterne benedicebat. Tandem, tinientibus campanis, in aedibus parochialibus honorifice excipitur, ubi iterum ab admodum reverendo archipresbytero et clero obsequenter deveneratur et frequenti tormentorum bellicorum explosione salutatur. Porro una cum tota eius familia tertia parte sanctissimi rosarii ac litanis beatae Mariae Virginis devote recitatis, incenatus pernoctavit.

ANGIARI – Die iovis 5 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes antedictus, longioribus episcopalibus vestibus indutus, in egressu domus parochialis deosculatur [2^v] crucem sibi ab admodum reverendo archipresbytero pluviiali induto porrectam et sub baldachino a sex confratribus societatis sanctissimi Sacramenti ceruleo sacco indutis delato receptus, praecedente clero canticum *Benedictus* decantante et obstrepentibus tympanis ac tubis tinientibusque campanis, processionaliter ecclesiam parochialem petit. Ibi in limine ianuae maioris accepto aspensorio ab admodum reverendo archipresbytero, aqua lustrali se signat populumque aspergit subindeque ab eodem archipresbytero ut supra pluviiali induto triplici ductu thurificationis honorem accipit et solemniter templum ingreditur. Ante altare maius progressus et genuflexus, pias Altissimo preces fudit et, interim consuetis a clero decantatis, altare ascendit, quo deosculato et titularis oratione decantata, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam, confessione praemissa, impartitus est. Ad thronum sibi paratum venit et, inservientibus admodum reverendis dominis Francisco Gaggiomelli archipresbytero Sancti Petri Portus et Bonaventura Auregio archipresbytero Minerbii dalmaticis [3] indutis, pontificalibus violacei coloris apparamentis vestitus fuit et de more exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio contiguo absolvit. Violaceis paramentis depositis sumptisque albis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, humiliter visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea intus inaurata sub clavi item argentea bene custoditum et optime tentum. Ante idem Sacramentum nocte dieque accensa ardet lampas sumptibus admodum reverendi archipresbyteri. Animae sub hac cura quae sacram communionem sumunt numerantur 800, in totum vero 1200, quarum nulla – Deo dante – est inconfessa et a sacra communione aliena in Paschate. Habuit ex factis perquisitionibus Sacramentum temporibus debitis renovari; die festo Corporis Christi solemnem cum eodem fieri processionem; cum ad infirmos defertur, honorifice associari et ceras ad hoc neccessarias ac intortitia a societate eiusdem sanctissimi [3^v] Sacramenti manuteneri nec non parata extare fanalia, baldachinum, umbellam, aliam pixidem, amigdalam aliaque ad id opportuna; per consueta signa populum convocari et associantibus impartitas indulgentias publicari; communicatis in Paschate schedas distribui, subinde colligi. Iterum praemissis adoratione, hymno et thurificatione, repositum fuit sanctissimum Eucharistiae sacramentum et ad tronum reversus piam pro celebratione missae emisit praeparationem. Sacerdotalibus vero indutus, honorifica pompa, iisdem inservientibus admodum reverendis archipresbyteris, sacrum fecit. Subinde propriis manibus paterna charitate quamplurimis utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Porro Deo optimo maximo gratiis actis missaque audita unius ex suis cappellanis, ad aedes parochiales reversus est et prandium sumpsit. Die iovis antedicta 5 maii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ut ante honorifice sub baldachino receptus, parochialem ecclesiam adivit; qua per consuetas [4] caeremonias ingressa et piis Altissimo precibus effusis, pio doctrinae christianae operi diligenter vacavit. Itaque postquam per factas perquisitiones recte regi et gubernari iuxta capitula eiusdem doctrinae christianae cognovit, quomodo populus edoctus sit pueros et puellas interrogando de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus expertus est et recte edoctos, magno cum animi sui gaudio, invenit. Cum vero huiusmodi sanctum exercitium maxime sibi cordi sit, omnes et singulos paterne in Domino hortatus est ut nulli parceant labori in tam proficuo opere diligentia et amore excolendo, ita ut uberior in dies fructus sucrescat, ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem. Subinde se contulit ad visitandum publicum oratorium sub invocatione Sanctorum Philippi et Iacobi, infra limites parochialis ecclesiae Englarii erectum, de ratione olim quondam nobilis viri patritii veneti Ioannis Baptistae Recanati, modo vero nobilis viri item patritii veneti Iacobi Giustiniani, a quo manuteneretur. Unicum extat altare ligneum [4^v] cum portatili et icone ac antipectile ex corio, in quo est onus celebrandi seu celebrari faciendi sacrum singulis anni diebus festis, cui oneri satisfit per reverendum dominum Hieronymum Segala, stipe ducatorum 30; caeterum pingues sunt

redditus, prout constat ex policea admodum reverendi archipresbyteri in fine huius libri sub littera A reposita, cui et cetera. Porro ibi quoque missam celebrat diebus festis reverendus dominus Franciscus Segala, sacerdos de Englario, ex devotione domini Antonii Pellegrini. Ad ornatum altaris vidit quinque capsas reliquarias ex ligno confectas, auro linitas et anteriori in parte crystallo munitas, in quibus intus clausae et sigillatae servantur sacrae reliquiae sanctorum Christi martyrum Placidiae, Cassiae, Crescentii, Pancratii et Teodori. Retro altare, loco sacristiae, servantur sacrae suppellectiles pro sacro faciendo, quas visitavit et sufficienter esse provisum cognovit. Quibus habitis, se se ad aedes parochiales antedictas restituit et, recitata cum suis familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. [5] Die veneris 6 mensis maii 1740. Per consueta signa populo convocato, illustrissimus et reverendissimus praesul, honorifice sub baldachino receptus, ad ecclesiam parochialem venit, qua per solitas ceremonias ingressa, piam pro celebratione missae praeparationem emisit; sacerdotalibus paramentis indutus, sacrosanctum missae sacrificium absolvit et quamplures utriusque sexus fideles sanctissimo Eucharistiae sacramento cibavit. Debitas subinde Altissimo gratias egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Porro in suae pastoralis visitationis munere insistens, visitavit olea sancta, in loco ad hoc parato a cornu epistolae altaris maioris, cum a latere evangelii nimia sit humiditas, in vasis stanneis servata et sub clavi custodita. Fontem baptismalem, in calce ecclesiae a latere evangelii erectum, rastris ligneis septum, bene sed non tute sub clavi custoditum; ideo ordinatum fuit ut in ordinatis. [5^v] Tria confessionalia, quorum duo nucea, pro excipiendis sacramentalibus christifidelium confessionibus. Altare maius marmoreum cum portatili, divo Michaeli arcangelo dicatum, ubi tabernaculum marmoreum pro custodiendo sanctissimo Eucharistiae sacramento manutinetur ab admodum reverendo archipresbytero. Retro extat chorus cum scamnis nuceis. Altare Corporis Christi ex marmoribus constructum, cum portatili et icone; manutinetur a societate eiusdem Corporis Christi ibi erecta, cuius confratres induunt capas seu saccum coloris cerulei; reguntur iuxta capitula ab illustrissimo et reverendissimo episcopo Barbadico approbata et fruuntur nonnullis indulgentiis, ut ex diplomate pontificio diei 13 decembris 1729. Haec societas habet redditus annuos librarum 179.19, cum onere ex legato missarum 48 pro valore eleemosynae librarum 57.12 et unius officii missarum 12 pro valore librarum 26.10; reliquum, publicis satisfactis gravaminibus, impenditur in manutentione cereorum pro altari et associatione sanctissimi Sacramenti, prout in policeis praesentatis admodum reverendi archipresbyteri et gubernatoris dicti altaris, infra repositis sub littera A. [6] Altare sanctissimi Nominis Iesu, in mensa marmoreum, in reliquis ligneum cum portatile; manutinetur ex propriis redditibus, qui sunt valoris annui librarum 132.18, cum onere tamen missarum 60 ex legato, quarum eleemosynae sunt librarum 72 et reliquum, solutis publicis gravaminibus, impenditur in manutentione cerarum et altaris, quod constat ex policeis ut supra. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, marmoreum in mensa cum portatili et effigie beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta; suos habet redditus pro manutentione ad summam librarum 223.18.6, super quibus ultra publica gravamina extat onus missarum 42 ex variis legatis pro valore librarum 50.8 et onus missarum 53 pro legato quondam Angelae Galeani, quarum eleemosyna est valoris librarum 79.10 et librarum 6 pro sacristia; reliquum erogatur pro cereis et manutentione altaris, prout in policeis ut supra. Altare beatae Mariae Virginis a Cintura, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis ligneum, cum effigie eiusdem beatae Mariae Virginis; manutinetur, ex propriis redditibus valoris annuatim librarum 108.10, a societate ibi erecta sub invocatione [6^v] praedictae beatae Mariae Virginis, cuius confratres vi associationis gaudent nonnullis indulgentiis, prout ex diplomate diei 1 maii 1647. Onera sunt, ultra publica gravamina, missarum 14 in annis singulis, ex legato quondam nobilis dominae Emiliae Vidali, quarum eleemosyna est librarum 21, missarum 16 ex legato quondam Ioannis Baptistae Cremonese, cum eleemosina librarum 19.4 et insuper manutenendi ceras et altare – quod est dicatum – cruce, lampade et quatuor candelabris argenteis, ut ex policeis ut supra. Visitavit coemeterium contiguum et totam ecclesiam, quae non est consecrata, sub invocatione Sancti Michaelis arcangeli; est plebs et confertur per concursum iuxta Concilium tridentinum. Vidit suggestum, in quo concionatur tempore Quadragesimae per concionatorem missum ab illustrissimo et reverendissimo episcopo veronensi. Demum visitavit sacristiam, a latere epistolae erectam et sacras suppellectiles pro sacro faciendo sacrisque functionibus peragendis et bene provisam ac tentam invenit. [7] Quibus habitis, ad aedes parrochiales se se restituit et prandium sumpsit. Ordinata. Rastra quae sepiunt sacrum fontem utpote minus tecta et indecentia per communitatem fiat ferrea, ita ut et tuta et decentia sint. Die antedicta 6 maii 1740 post prandium. Cum multus populus ad ecclesiam convolaverit Confirmationis sacramentum sumpturus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, sua paterna charitate motus, in ecclesiam ipsam per consuetas caeremonias honorifice comitatus, descendit et, fuis piis Altissimo precibus, pontificalibus indutus utriusque sexus plurimis christifidelibus magno cum labore Confirmationis sacramentum ministravit. Qua pia actione peracta, defatigatus ad

parochiales aedes se restituit et, recitata in sero cum sua familia tertia parte sanctissimi rosariis cum litanis, incoenatus pernoctavit. Dum vero praemissa ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo agerentur, illustrissimus dominus vicarius visitationis se contulit ad visitandum [7^v] [a margine: Santa Croce] oratorium publicum sub invocatione Sanctae Crucis, infra limites parochialis ecclesiae Englarii erectum, de ratione eiusdem communitatis Englarii, a qua manutinetur de omnibus. Tria vidit et visitavit altaria, scilicet: altare maius marmoreum cum portatili, quod habet redditus librarum 84, cum onere missarum duarum pro quondam Lavezzola, cum eleemosyna librarum 208; missarum octo ex legato quondam Baptistae Gambin, cum eleemosyna librarum 9.12; missarum 18 pro quondam Laurentio Goto cum eleemosyna librarum 21.12; reliquum praedicti redditus impenditur in ceris et manutentione altaris, solutis publicis gravaminibus, prout in policea gubernatoris praedicti altaris, in fine huius libri sub littera A reposita. Onera antedicta missarum adimplet reverendus dominus Franciscus Maria Moretti, curatus Englarii, qui commendabilis est propter eius pietatem et expensas pro ornatu dicti oratorii factas. Altare sancti Rocchi ligneum cum portatili, a pietate fidelium manutentum; hic sunt redditus librarum 48 impendendarum in tot sacrificiis et percipiuntur modo a [8^v] Ioanne Baptista Quartarolli. Altare sanctae Luciae ligneum cum portatili, de ratione nobilium dominorum de Parmis Lavezzola, a quibus manutinetur nullaque sunt onera nec redditus. Duae reliquariae thecae ostensae fuerunt, in quarum una crystallina, ad modum crucis elaborata, intus clausa custoditur sacra reliquia de ligno sanctissimae crucis Domini nostri Iesu Christi, iam recognita ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo Gradonico suoque sigillo munita; in altera reliquiaria theca, ovata argentea, servantur sacrae reliquiae sanctarum Appolloniae et Luciae virginum et martyrum, suo autentico documento munitae et in curia episcopali sede vacante die 8 augusti 1725 recognitae. Christifideles confessi et communicati huc accedentes dictum oratorium visitaturi die 3 maii fruuntur indulgentia plenaria ex brevi apostolico die 23 novembris 1739 ad septennium concessa. Retro altare, loco sacristiae, custodiuntur sacrae suppellectiles pro sacro faciendo, quas visitavit et sufficienter provisum esse invenit. [8^v] Ordinata. Fenestra in choro existens muniatur spera vitrea – patena prout decet inauratur. Quibus habitis, ad aedes parochiales se se restituit. Die sabbathi 7 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus praesul, ut supra honoratus et comitatus, parochialem ecclesiam petiit, quam per consuetas coere monias ingressus est. Ante sanctissimum Sacramentum genuflexus, pias preces Deo fudit piamque praeparationem pro sacro faciendo emisit. Sacerdotalibus vero indutus paramentis, missam celebravit; qua absoluta actisque Deo optimo maximo gratiis, aliam unius ex suis cappellanis audivit. Subinde, humilibus petitionibus sibi porrectis benigne annuendo, aliquibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Insuper clericali tonsura insignivit, servatis servandis, Ioannem Franciscum Zanotti, filium Ioannis Baptistae, de Englario, clericalem habitum gestantem. Praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanino, archipresbytero Sancti [9^v] Ioannis in Foro et ceremoniarum magistro ac reverendo domino Iacobo Riva cappellano et familiari suae illustrissimae et reverendissimae dominationis aliisque testibus et cetera. Porro ad aedes parochiales restitutus, pro tribunali sedit, coram quo comparuit admodum reverendus dominus Augustinus Busti, sacrae theologiae doctor, aetatis annorum 69 circiter, archipresbyter venerabilis plebis Sancti Michaelis arcangeli de Englario, quam ecclesiam obtinuit per concursum iuxta Concilium tridentinum, cum bullis pontificiis diei 3 idus augusti 1714 et eiusdem possessionem accepit die 23 septembris dicti anni 1714 et, debita cum veneratione, dictas bullas ostendit et mandatum vicariae foraneae diei 12 octobris 1714, cum subiectione suae parochialis ecclesiae et ecclesiarum Bonadici et Coriani nec non libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum et status animarum ac habitatum congregationum, bene digestos ac tentos; insuper praesentavit policeas iuxta aedictum, in fine huius libri sub littera A repositas. Demum, interrogatus de suo clero et [9^v] populo, de utroque bene retulit et dimissus fuit. Subinde comparuerunt reverendus dominus Franciscus Maria Moretti, sacerdos de Ruperclara aetatis suae annorum 58, curatus huius parochialis ecclesiae, cum mandato episcopali ad confessiones, ad annum die 27 iunii 1739 prorogato et hodie pariter ad annum confirmato. Reverendus dominus Ioannes Tapparini aetatis annorum 38, sacerdos cappellanus communitatis, cum onere celebrandi missam singulis diebus festis, confessarius cum mandato episcopali ad annum die 22 februarii 1740 concessa. Reverendus dominus Franciscus Segala, simplex sacerdos de Englario, aetatis suae annorum 42 circiter. Reverendus dominus Heronymus Segala, simplex sacerdos de Englario, aetatis suae annorum 37 circiter. Reverendus dominus Ioannes Cavallinus, sacerdos de Malavicina aetatis suae annorum 33 circiter, confessarius cum mandato ad annum confirmato die 15 februarii 1740. [10^v] Venerabilis clericus in minoribus ordinibus constitutus Christophorus Sartori, aetatis suae annorum 20 circiter. Venerabilis clericus hodie clericali prima tonsura insignitus Ioannes Franciscus Zanoti, filius Ioannis Baptistae de Englario, aetatis suae annorum 18 circiter. Qui omnes suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes, eorum ordinem et

confessionum mandata aliaque requisita humiliter ostenderunt. A fide dignis huius communitatis viris diligentes informationes sumpsit de vita et moribus sacerdotum et clericorum nec non de diligentia admodum reverendi archipresbyteri in suo munere fungendo et bona habuit de clero ac digna laude de admodum reverendo archipresbytero. Illustrissimus dominus vicarius visitationis expertus est et examinavit obstetrices, scilicet Dominicam uxorem Pauli Rossato et Victoriam Tambara viduam, quas de ministrando sacramento baptismatis in casibus neccessitatis sufficienter aptas esse invenit. Quibus habitis, prandium sumpsit. [10^v] Die antedicta 7 mensis maii 1740 post prandium. Absoluta ut ante pastoralis sua visitatione huius plebanae ecclesiae Sancti Michaelis arcangeli de Englario, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus quamplurima devenerationis et grati animi monumenta, pro collato dono, ab admodum reverendo archipresbytero et communitate recepit et, tubis timpanisque honoratus ac sub baldachino receptus, multo affluente populo, parochialem ecclesiam adivit, ubi cum recitatione psalmi *De Profundis* de more, antedictam suam visitationem clausit. Subinde rhaedam ascendit et ab ipso Englarii archipresbytero et rusticana equestri et pedestri eiusdem loci militia et maxime a militia equestri, honoris gratia ab illustrissimo et excellentissimo domino provisoro et capitaneo fortilitii Lemniaci obviam missa[m] comitatus, ad dictum fortilitium et parochialem ecclesiam Sancti Martini Lemniaci iter arripuit. Ad confinia perventus, recedente rusticana Englarii militia, frequenti explosione honoratus fuit et admodum reverendum dominum archipresbyterum Sancti Martini praedicti obvium habuit cum suo clero, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem [11] devenerantem et humiliter excipientem. Iter proseguendo, fortilitium ingreditur, cum toto praedicto honorifico comitatu, cuius ingressus ad eiusdem fortilitii portam militaribus obsequii, tympanis obstrepentibus, honoratus fuit. Ad aedes vero parochiales Sancti Martini antedicti perventus, ibi suam fixit mansionem. Porro exhibitis erga omnes suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes suae humanitatis argumentis in urbanitatis offitiis et consuetis reverentialibus formalitatibus explendis, reliquum huius diei tempus insumptum fuit. Illico enim visitatus fuit a dominis sindicis et deputatis eiusdem fortilitii huiusmodi communitatis reverentiam praebentes, quos humanissime recepit. Interim vero hinc inde nunciis praemissis, nulla subinde interposita mora, illustrissimus et excellentissimus dominus Marcus Minius, provisor et capitaneus Lemniaci, multa magnificentia comitatus et decora veste, vulgo romana, indutus una cum praemissis sindicis et deputatis, ad dictas parochiales aedes suam illustrissimam et reverendissimam dominationem visitaturus accessit; quem idem [11^v] illustrissimus et reverendissimus praesul episcopali veste cum mozzetta et ipse indutus, honorifice suscepit et subinde veste ut supra ac vulgo cum mantelon indutus, sibi factam visitationem eidem illustrissimo et excellentissimo domino provisoro et capitaneo restituit. Visitatus subinde fuit a domino gubernatore Armarum praedicti fortilitii ab admodum reverendis dominis prioribus conventuum Sancti Dominici tertii ordinis sancti Francisci et minorum observantiae a clero parochialis ecclesiae Sancti Petri Portus, nomine etiam eorum archipresbyteri aegrotantis nec non a quampluribus dignioribus viris eiusdem fortilitii, quibus omnibus humanissime eius animi argumenta praebuit. Nocte iam superventa, una cum suis familiaribus tertiam partem sanctissimi rosarii cum litanii recitavit et incenatus pernoctavit. Die dominico 8 mensis maii 1740. Statuta hac die pro solemni suo ingressu ac incoatione pastoralis suae visitationis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus presto fuerunt quatuor domini syndici a spectabili communitate deputati ut in omnibus functionibus publico nomine [12] illustrissimo et reverendissimo domino domino praesuli deserviant et, omnibus recte dispositis convocatoque populo per consueta signa sub baldachino ab ipsis dominis quatuor deputatis delato receptus fuit, ecclesiam ipsam parochialem petiturus,

[a margine: LEGNAGO] solitis servandis servatis, scilicet in egressu domus parochialis super paratis pulvinaribus genuflexus, oblatam sibi ab admodum reverendo archipresbytero pluviali induto crucem deosculatus est multoque populo et clero canticum *Benedictus* decantante processionaliter praecedente devota pompa ad ecclesiam iter fecit. Ad portam maiorem perventus, populum aqua benedicta aspersit aspergillo oblato ab admodum reverendo domino Bartholomaeo Cavalcaselle archipresbytero, qui et thurificationis honorem praebuit. Subinde solemni pompa ecclesiam parochialem Sancti Martini Lemniaci ingressus est. Ante altare maius genuflexus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum deveneratus est piasque Deo preces fudit et, consuetis a clero decantatis, altare ascendit, illud deosculatus est et, recitata titularis oratione, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam [12^v] de suo mandato, praemissa confessione, publicatam impartitus est. Ad thronum a cornu evangelii honorifice sibi paratum venit multoque inserviente clero et praecipue duobus sacerdotibus dalmaticis indutis, diaconi et subdiaconi munus exercentibus, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et de more exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio contiguo absolvit. Depositis autem paramentis violacei coloris sumptisque albis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in suo tabernaculo et pixide intus

auro linita, bene et tute sub clavi custoditum. Sub hac parochia animae quae sacram communionem recipiunt numerantur 785, in totum vero 1617 circiter. Lampas nocte dieque accensa manutinetur a dominis clericis huius plebis Sancti Martini Lemniaci, qui etiam supeditant ceras pro altari maiori; societas vero sanctissimi Sacramenti decore et abunde supeditat intortitia et cereos pro associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos. [13] Ex factis perquisitionibus habuit sanctissimum Sacramentum debitis temporibus renovari; cum eodem die festo Corporis Christi solemnem fieri processionem; illud dum opus est decenter ad infirmos deferri ac propterea fanalia 5, baldachinum, vellum, vexillum, umbellam aliaque neccessaria et opportuna extare; ad huiusmodi pium opus populum per consueta signa convocari et associantibus impartitas indulgentias publicari; communicatis in Paschate schedas distribui. Quibus aliisque aliis ad curam spectantibus cognitis, sanctissimum Sacramentum, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, reposuit. Subinde thronum ascendit, ubi piam emisit praeparationem pro celebratione missae et, duobus sacerdotibus dalmaticis vestitis assistentibus et inservientibus, sacerdotalibus indutus fuit. Missam, iisdem sacerdotibus inservientibus ac praefatis dominis deputatis communitatis manuum ablutionem praebentibus, honorifica pompa celebravit. Ipse postea paterno suo affectu quampluribus utriusque sexus christifidelibus [13^v] sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Gratiis vero Deo optimo maximo actis, unius ex suis cappellanis missam audivit et in aedes parochiales se se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 8 maii 1740 post prandium. Per solita signa hora consueta doctrinae christianae convocato populo, qui in magna copia huc venit, illustrissimus et reverendissimus praesul, doctrinam christianam visitaturus, in ecclesiam honorifice comitatus et receptus descendit et, fuis ante altare maius genuflexus Deo optimo maximo precibus, thronum ascendit, ubi deputatos pueros inter se de doctrina christiana disputantes italibus versibus libenter audivit. Deinde diligenter perquisivit de ordine, exercitio et frequentia tam pii operis nec non per varias interrogationes pueros et puellas de misteriis fidei aliisque principalioribus ad aeternam salutem spectantibus expertus est et sufficienter edoctos invenit. Cum vero hac die, ex huius ecclesiae pio instituto, benedictio cum Sacramento danda esset, illam ipse, labori non parcens, peragere voluit. Quibus absolutis, in aedes [14] parochiales se se recepit et, recitata tertia parte sanctissimi rosarii cum suis familiaribus, incenatus pernoctavit. Die lunae 9 mensis maii 1740. Omnibus rite dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, honorifica pompa sub baldachino receptus, ecclesiam parochialem antedictam Sancti Martini petiit, quam per consuetas ceremonias ingressus est. Ante altare maius genuflexus, pias preces fudit piamque pro celebratione missae praeparationem emisit. Porro sacerdotalibus indutus, missam celebravit et propriis manibus Eucharistiae sacramentum nonnullis utriusque sexus christifidelibus ministravit. Gratiis subinde egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Paterno vero suo amore aliquorum supplicationibus favorabiliter annuendo, Confirmationis sacramentum ministravit. Incumbens autem suae pastoralis visitationi, rochetto et stola indutus, visitavit olea sancta, in loculo ad hoc deputato servata, qui tamen locus reparatione indiget. [14^v] Sacrum fontem baptismi, in calce ecclesiae a cornu epistolae erectum rastrisque nuceis septum. Altare maius ligneum cum portatili, divo Martino episcopo dicatum, quod de omnibus manutinetur a dominis archipresbytero et clericis huius plebis; nullum hic assertum fuit extare missarum onus. Altare beatae Mariae Virginis a Spasimo marmoreum cum portatili; hoc altare habet proprios redditus valoris circiter ducatorum 36 quibus manutinetur; ex quo legato hi fructus debeant, cum adeo antiquae sit institutionis ut nulla extet memoria, ignoratur; exiguntur ab admodum reverendo archipresbytero, vel per economum ab ipso deputatum, qui eidem archipresbytero rationem reddit. Modo ab ipso archipresbytero percipiuntur et impenduntur in manutentione et beneficio dicti altaris. Hic habetur cappellania perpetua, a quondam Gaspare Barberio relicta, cum onere missae quotidianae, ad quam ius cappellani seu rectorem eligendi ex ipsa institutione spectat ad communitatem dicti loci et eiusdem modo est cappellanus seu rector reverendus dominus Melchior Avrese; ex legato quoque quondam [15] Ioannis Facini habetur officitura missarum quatuor in qualibet hebdomada, quas missas nunc celebrat reverendus dominus Ioannes Giminiani. Vidit sacras reliquias sanctorum Christi martyrum Amatoris et Magni, iam recognitas in hac curia episcopali die 9 iulii 1717. Altare sancti Marci marmoreum cum portatili, quod fuit assertum de ratione familiae Bonacina et ab eadem manuteneri; caeterum extat legatum quondam Augustini Lapioti, quo permittitur quartam partem reddituum assignatorum impendi in beneficium altaris et reliquas partes in tot sacrificiis esse impendendas, vi cuius legati celebrat semel in hebdomada reverendus dominus Ioannes Giminiani. In eodem altari, ex legato quondam admodum reverendi domini Dominici Sartorii archipresbyteri Lemniaci, celebratur missa singulis diebus festis per reverendum dominum Bonifacium Brizzi, ab admodum reverendo archipresbytero electum. Hic quoque familia Bonacina habet onus celebrare faciendi missas 72 singulis annis, ex legato eiusdem familiae, quas adimplet reverendus dominus doctor Iacobus Antonius Bonacina. [15^v] Altare sancti Laurentii, in mensa marmoreum in reliquis

ligneum cum portatili, de ratione dominorum de Vivaldis de Lemniaco, a quibus manuteneatur ex legato quondam domini Ioannis Pauli Vivaldi in actis domini Astulfi notarii diei 6 maii 1640; extat onus celebrare faciendi in dicto altari singulis diebus dominicis et ter in qualibet hebdomada; ab anno vero, cum capitale depositatum sit super sancto Monte Veronae, celebratur tantum in hebdomada semel per reverendum dominum Ioannem Stringari. Altare sanctae Mariae Magdalenae ligneum cum portatili, de ratione familiae de Zuccolis de Lemniaco, a qua manuteneatur; in eodem onus existit celebrandi missam singulis dominicis et ter in qualibet hebdomada, ex legato quondam Mariae Antoniae Zuccoli suo testamento condito anno 1628 in actis domini Benedicti Leoni notarii veneti, cuius officiaturae cappellanus est reverendus dominus Petrus Zuccoli. Altare sanctissimi Suffragii, ex marmoribus eleganti forma constructum cum portatili ac ditissime provisum ornamentis ex solido argento elaboratis, tabellis scilicet, cruce, candelabris, [16] lampade et calice cum patena ac multis suppellectilibus praeciosis; manuteneatur decore de omnibus a societate sub eadem invocatione sanctissimi Suffragii, quae ibi est erecta et pluribus fruitur eleaemosynis et redditibus, ita ut plures cappellanos in eodem altari celebrantes manuteneat, prout in policea praesentata, cui et cetera, ultra legatum ad dictum altare archipresbyteris pro tempore existentibus relictum. Confratres dictae societatis, utpote agregatae archiconfraternitati Suffragii almae Urbis cum bulla data Romae 13 decembris 1639, pluribus fruuntur indulgentiis et gratiis. Altare sancti Andreae marmoreum cum portatili, ubi existit cappellania sub titulo eiusdem sancti Andreae, cum bonis et redditibus iacentibus in villa de Hortis, cuius modo rector est cum bullis reverendus dominus Stephanus Regazzetti, cum onere celebrandi missam diebus festis et quater in qualibet hebdomada; ex legatis quoque Avrese bis in hebdomada et Donati semel in hebdomada, celebrat reverendus dominus Ioannes Antonius Panzani. [16'] Altare sancti Petri martyr is ligneum cum portatili, ubi habetur perpetuum simplex ecclesiasticum beneficium a quondam reverendo domino Gaspare Sila institutum, cuius modo rector est, cum bullis, reverendus dominus Ioseph Bellè, qui celebrat missas iuxta vires reddituum, ad numerum scilicet – ut assertum fuit – biscentum quinquaginta. Altare sanctae Cattarinae, marmoreum in mensa in reliquis ligneum, ubi antiquum simplex beneficium seu cappellania extat instituta a quondam Anna Riccobona, cum onere celebrandi missam diebus dominicis et quater in qualibet hebdomada, stipe a communitate Lemniaci assignata, ad quam iuspatronatus eligendi et praesentandi cappellani spectat et ad cuius electionem et praesentationem modo cappellanus seu rector eiusdem cappellaniae est reverendus dominus Laurentius Vidali. Ostensae fuere sacrae reliquiae sancti Caietani et sancti Andreae Avellini, alias in hac curia episcopali Veronae recognitas et eiusdem sigillo munitas. Altare sancti Bartholomaei, marmoreum in mensa in reliquis [17] ligneum; hic quoque habentur ex legatis onera missarum, scilicet cappellania instituta a quondam excellenti Marco Antonio Salvi, cum onere missarum celebrandi singulis diebus dominicis et festivis ac qualibet feria quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae, cuius capellanus deputatus a reverendo archipresbytero et dominis sindicis communitatis dicti loci et modo est reverendus dominus Dominicus Pegorari; aliud legatum relictum a quondam reverendo domino Gaspare Marchesini, cum onere unius missae in hebdomada, quas missas celebrat vel celebrare facit admodum reverendus archipresbyter. Altare sanctissimi Corporis Christi, marmoreum cum portatili, de ratione societatis eiusdem sanctissimi Corporis Christi, a qua de omnibus manuteneatur; hic ex legato quondam Ioannis Facini quotidie missa celebratur a reverendo domino Francisco Pegorari, stipe tradita ab haeredibus dicti Facini. Praedicta societas fruitur redditibus cum oneribus, ex legatis quibus satisfit. Eadem manuteneat cereos pro expositione sanctissimi Sacramenti Quadraginta Horarum ad altare maius a dominica Palmarum usque ad [17'] diem feriae tertiae hebdomadae sanctae; cereos quoque praebet pro processione in festo Corporis Christi et in die veneris sancti ac pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos aliaque onera adimplet regiturque per suos ministros ac massarios, a quibus redditus quoque percipiuntur et administrantur. Visitavit, debita cum veneratione, sacras reliquias, unam scilicet de ligno sanctissimae Crucis, in cruce argentea repositam et sub duabus clavibus custoditam, quarum una extat penes archipresbyterum et altera penes communitatem et alteram sacram reliquiam, brachium scilicet sancti Tiburtii martyr is, in reliquiario rotundo crystalino et argenteo repositam, quas in sua veneratione antiqua remanere decrevit. Visitavit confessionalia, in ecclesia pro sacramentalibus confessionibus excipiendis exposita. Haec ecclesia parochialis est divo Martino dicata nec constat quod sit consecrata; est plebs cum clericis portiones quadraginta habentibus, quae portiones sunt beneficia simplicia clericatus nuncupata et conferuntur in [18] suis mensibus ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo. Eadem ecclesia habet redditus particulares sub titulo fabricae, quibus materiale ecclesiae manuteneatur, ad quem effectum a communitate Lemniaci eligitur massarius, ut ipse ad neccessaria invigilet. Porro tres habentur cappellaniae, quarum prima curata cum onere coadiuvandi in cura animarum et celebrandi missam diebus dominicis et quater in hebdomada; altera cappellania quinque portionum, cum onere celebrandi pariter

missam singulis diebus dominicis et quater in hebdomada; tertia cappellania trium portionum, cum eodem onere celebrandi missam singulis dominicis et quater in hebdomada. Quarum rectores eliguntur et instituuntur cum bullis episcopalibus auctoritate ordinaria, cessantibus resservationibus apostolicis. Sunt quoque in hac ecclesia celebranda quaedam officia et quaedam alia sunt missarum legata, [18^v] prout in policea admodum reverendi archipresbyteri, cui et cetera. Demum particulares extant redditus pro ressidentia, qui percipiuntur ex campis quatuor iacentibus extra moenia Lemniaci nuncupatis la Ressenzenza et ex quibusdam livellis. Hi fructus, suportatis honeribus, distribuuntur et dividuntur inter ressidentes et divinis officiis interessentes, ad quam ressidentiam tenentur et sunt capaces admodum reverendus archipresbyter, rectores antedictarum cappellaniarum. Primae curatae; quinque portionum et trium portionum nec non cappellanus beatae Mariae Virginis et cappellanus sancti Andreae, ut in sua policea praedicta testatur idem reverendus archipresbyter. Vidit coemeterium et totam ecclesiam, in qua extant organa et suggestum pro concione tempore Adventus et tempore quadragesimali; concionator eligitur a communitate, a qua utroque tempore eleemosyna traditur. Verum tempore Quadragesimae eligi solet unus ex reverendis patribus cappuccinis, obtentis tamen mandato et benedictione ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi. [19] Visitavit chorum, scamnis et sedilibus nuceis ornatum ac duas sacristias: alteram a cornu epistolae, ad usum admodum reverendi archipresbyteri et alteram a cornu evangelii, ad usum communem sacerdotum et in eis apparamenta et vasa sacra pro celebratione missae ceterisque ecclesiasticis functionibus peragendis et sufficienter provisum esse cognovit. Quibus habitis factisque infrascriptis ordinationibus, in aedes parochiales se se recepit et prandium sumpsit. Ordinata. Provideatur velum superhumeral ex serico – unum saltem conopeum variorum colorum provideatur pro altari maiori – provideatur statua resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ad altare maius tempore paschali erigenda – altare beatae Mariae Virginis a Spasimo provideatur de novo portatili cum sepulcrum portatilis existentis sit fractum – locus in quo custodiuntur olea sancta laudabiliter reparetur – portatile quoque altaris sanctissimi Corporis Christi, cum sit [19^v] fractum, de novo provideatur – confessionalia provideantur a parte confessorum de pagellis casuum resservatorum et a parte poenitentium de imaginibus devotis – ordinata non adimpleta praedecessorum antistitum fideliter adimpleantur.

Die antedicta 9 maii 1740 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius generalis, ex delegatione illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta et visitavit [a margine: Disciplina]: publicum oratorium sub invocatione Beatae Mariae Virginis Gratiarum, vulgo tamen nuncupatum *la Disciplina*, erectum intra moenia Lemniaci infra limites parochialis ecclesiae Sancti Martini. Est eleganti octangularem forma constructum, cum tribus altaribus, de ratione societatis disciplinatorum antiquitus erectae, a qua ex redditibus manutinetur. Altaria quae visitavit sunt: altare maius, Presentationi beatae Mariae Virginis dicatum, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis adhuc aedificandum, [20] quod de omnibus a societate manutinetur. Onera missarum assertum fuit esse missas 257 diebus festis comprahensis, quas celebrat reverendus Iacobus Antonius Bonacina iuris utriusque doctor, stipe tradita ab ipsa societate ex obligatione et ex legatis. Altare sanctae Luciae marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum, de ratione praedictae societatis et ab ipsa de omnibus manutentum, in quo celebratur ex devotione. Altare sancti Rocchi, ex voto a communitate erectum anno circiter 1630, de ratione eiusdem communitatis, ad quam onus manutentionis spectat, sed modo est dirutum ac derelictum. Assertum fuit memoriam extare in marmore sculptam hanc ecclesiam fuisse consecratam die dominica ultima mensis augusti 1676. In hac ecclesia singulis diebus festis, annuente archipresbytero, mulieres docentur de doctrina christiana, quam illustrissimus et reverendissimus praesul ut infra visitavit. Habetur quoque in loco superiori oratorium, ubi conveniunt [20^v] confratres diebus festis ad recitandum officium beatae Virginis Mariae, quod oratorium visitavit. Praedicti confraternitatis seu societatis confratres induunt cappas albi coloris et, inter caetera pietatis opera, illud exercent associandi patientes ad ultimum supplicium; caeterum habent redditus cum oneribus: integre satisfit. Visitavit sacristiam adnexam et paramenta ac vasa sacra pro missae sacrificio, de quibus bene provisum esse invenit. Dominus Paschal Lolio, subprior nomine etiam domini Petri Gianella, filius Petri prioris, exposuit communitatem Lemniaci olim erexisse ex voto altare sancti Rocchi, quod modo est derelictum ac suspensum et ex eodem voto teneri celebrari faciendi diebus festis, sancti Rocchi et sancti Sebastiani, missas sex pro quaque solemnitate nec non lampadem ac cereos manuteneri; ideo reverenter instetit communitatem ipsam obligari ad altare ipsum restaurandum et manutenedum ac ad onera praedicta adimplenda et ita et cetera, omni et cetera. [21] Illustrissimus vero dominus vicarius generalis et cetera decrevit dandam esse notitiam eidem communitati ut ipsa dicat et deducat quidquid et cetera, resservando decerni quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Ordinata. Altare maius provideatur de cerata qua portatile cooperiatur – construatur fons in sacristia pro abluendis manibus sacerdotum missam celebrantium

– altare sancti Rocchi maneat in sua suspensione donec decenter reparetur et de necessariis provideatur. Quibus habitis, visitationem proseguendo, visitavit [a margine: Santo Spirito] publicum oratorium sub titulo Sancti Spiritus infra limites parrocchialis ecclesiae Sancti Martini erectum, de ratione confraternitatis sub invocatione eiusdem Sancti Spiritus, a qua ex redditibus manutinetur. Tectum dicti oratorii, anno praeterito igne combustum, est modo in reaedificatione. In eodem oratorio tria sunt altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius marmoreum cum portatili, Sancto Spiritui [21^v] dicatum, a dicta societate seu confraternitate manutentum, in quo celebratur ex legatis ipsius confraternitatis. Altare beatae Mariae Virginis, marmoreum cum portatili, de ratione – ut fuit assertum – familiae dominorum de Peccorariis, cum onere illud manutenedi, in quo ex devotione tantum celebratur. Altare sanctissimi Crucifixi, marmoreum cum portatili et crucifixo ex ligno sculpto loco iconis, de ratione dictae confraternitatis, a qua manutinetur et in eo celebratur ex legatis ipsius societatis, quae sunt – ut fuit assertum – missarum 408, quas dicta confraternitas celebrare facit, stipe ab ipsa tradita per reverendum dominum Martinum Avrese de Portu et per reverendum dominum Ioannem Baptistam Giacometti de Terra Nigra. Praefata confraternitas est aggregata archiconfraternitati almae Urbis, prout ex diplomate 23 februarii 1707, vi cuius aggregationis eiusdem confratres nonnullis fruuntur indulgentiis et gratiis. Ipsi vero confratres induunt cappas obscuri coloris et conveniunt in oratorio retro altare maius [22] festis diebus, officium beatae Mariae Virginis recitaturi, quod oratorium inservit etiam pro sacristia et illud visitavit nec non sacras suppellectiles ac vasa sacra ibi servata pro sacrificio missae, de quibus bene esse provisum et bene esse tenta invenit. Ordinata. Altare Sancti Spiritus provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam – in sacristia provideatur labellum cum suo manutergio pro abluendis manibus sacerdotum missam celebrantium. Quibus habitis, subinde visitavit [a margine: San Carlo] publicum oratorium divo Carolo dicatum, prope plateam infra limites parochialis ecclesiae Sancti Martini erectum, de ratione societatis sub titulo eiusdem Sancti Caroli, quae de omnibus oratorium ipsum manutinet. Tria hic habentur altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius sancti Caroli, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis in muro depictum cum icone eiusdem sancti Caroli, a dicta confraternitate provisum et [22^v] manutentum, in quo ex devotione celebratur. Extat et vidit sacram reliquiam, nempe particulam dalmaticae albi coloris eiusdem sancti Caroli et particulam spongiae in eius corpore repositae, quae sacrae particulae custodiuntur in reliquiario crystallino rotundo et sunt roboratae patentibus litteris datis Mediolani die 14 ianuarii 1628 ac sigillo episcopali in visitatione illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Barbadici diei 6 novembris 1708 munitae. Altare beatae Mariae Virginis Lauretanae, marmoreum cum portatili et effigie sculpta eiusdem beatae Mariae Virginis, de ratione societatis praedictae, a qua ex piorum eleemosynis manutinetur. Hic extat legatum quondam Bartholomaei Palavicini, vi cuius in dicto altari celebrantur duae missae quotidianae; eorundem cappellani sunt duo ex reverendis patribus conventualibus, penes quos extant capitalia investita et redditus pro eiusdem officiatoris, pro quibus dicti reverendi patres sacristiae huius ecclesiae omni anno persolvunt ducatos duodecim, cum eiusdem sacristiae ceris et apparamentis utantur. Altare sancti Nicolai, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum, ab ipsa confraternitate de omnibus [23] manutentum, in quo celebratur missa ex devotione, nullo extante legato. Confratres huius confraternitatis induunt habitum coloris violacei et rubri et fruuntur indulgentiis in die eorum ingressus, in articulo eorum mortis et in festo sancti Caroli nec non aliis gratiis, illa pietatis opera exercentes quae in bulla pontificia diei 5 februarii 1628 praescribuntur. Vidit sacristiam retro altare maius, ubi extat etiam corus et in ea sacras suppellectiles ac vasa sacra pro sacrificio missae, de quibus bene et decore esse provisam cognovit. Ordinata. Portatile altaris sancti Nicolai cooperiatur tela cerata. Quibus habitis, venit ad hospitale infrascriptum et visitavit [a margine: Ospitale] oratorium seu altare hospitalis militum eiusdem loci. Altare est ligneum cum portatili, divo Antonio patavino dicatum, in quo celebratur omnibus diebus festis per cappellanum electum ab illustrissimo et excellentissimo domino provisoro et capitaneo Lemniaci, qui [23^v] cappellanus est unus reverendorum patrum minorum conventualium sancti Francisci et eidem incumbit onus assistendi infirmis in dicto hospitali pro cura receptis; stipem vero percipit a publica camera Veronae. Hic in loculo ad hoc parato a latere epistolae altaris custoditur oleum infirmorum a plebe Sancti Martini receptum, quod visitavit. In fine hospitalis extat sacristia, quam cum sacris apparamentis et vasis sacris pro celebratione missae visitavit et est sufficienter provisa. Quibus habitis, ad parochiales aedes se se restituit. Die antedicta 9 maii 1740 post prandium. Petitionibus sibi humiliter factis paterno suo amore annuendo, illustrissimus et reverendissimus praesul, sub baldachino – ut supra dictum fuit – receptus et honorifice comitatus, in ecclesiam parochialem descendit eaque de more ingressa et precibus Altissimo fuis, in throno pontificalibus indutus fuit et quampluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. [24] Subinde se contulit ad publicum oratorium Beate Mariae Virginis Gratiarum, vulgo *La Disciplina*, ubi festis diebus docentur

puellae – ut antea notatum fuit – de doctrina christiana, ipsam visitaturus et quomodo edoctae sint puellae cognosciturus. Itaque in primis perquisivit de ordine et frequentia tam pii operis; subinde per examen expertus est puellas hic convocatas, quas per varias interrogationes factas de mysteriis fidei aliisque ad aeternam salutem neccessariis sufficienter instructas reperiit. Porro plurimum in Domino tam proficuum opus omnibus comendavit et ad frequentiam, diligentiam et cultum enixe hortatus est. Quibus habitis, ad aedes parochiales reversus, recitata cum suis familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii, incoenatus pernoctavit. Supplicationem sub hac die a reverendo domino curato de Hortis productam pro subiectione suae ecclesiae vicariae foraneae Englarii, vide sub die crastina. Die martis 10 maii 1740. Illustrissimus dominus vicarius generalis demandatam sibi visitationem [24^v] proseguendo, ad oratorium infrascriptum iter fecit illudque visitavit, scilicet [a margine: Sant'Antonio in Terra Negra] publicum oratorium sub invocatione Sancti Antonii extra moeniis Lemniaci, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Martini in contrata Terrae Nigrae situm, de ratione hominum eiusdem contratae, a quibus et ex piorum eleemosynis de omnibus manutenetur. In eo tria sunt altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius, divo Antonio dicatum, marmoreum in mensa et gradibus cum portatili et icone, ut supra manutentum. Ibi vidit tabernaculum, de licentia admodum reverendi archipresbyteri non pro perpetuo servando Sacramento, sed cum contingit communicare infirmos eiusdem contratae post celebrationem missae per oratorii cappellanum, de licentia praedicti archipresbyteri; quapropter vidit pixidem, umbellam aliaque ad id opportuna et neccessaria. Pro neccessitate populi, de licentia ut supra, servatur quoque sacrum oleum infirmorum, ab ipso domino archipresbytero praestitum. Homines praedictae contratae amovibiliter eligunt [25] cappellanum, qui in domo ecclesiae contigua ressideat, cum stipe ab ipsis tradita ac onere celebrandi missam singulis diebus festis; ad praesens est reverendus dominus Carolus Antonius Gramegna, sacerdos de Sancto Martino, a quo adimplentur etiam legata relicta a quondam Iacobo Accordi et quondam Nicolao Caglia et a quondam Ioanne Piocheni. Altare sanctae Tuscanae, ligneum cum portatili et imagine beatae Mariae Virginis, olim de ratione illorum de Martinis, modo vero, ex eorum dono – ut assertum fuit – de ratione praedictae contratae, sed manutenetur a societate sanctissimi Rosarii, paucis ab hinc annis ibi erecta, cum diplomate 7 augusti 1736. Altare sancti Francisci, ligneum cum portatili, de ratione nobilis viri domini Ioannis Donati patritii veneti, titulo haereditario quondam reverendi Ioannis Ferrari, ex cuius legato celebratur in eodem altari bis in hebdomada per praedictum reverendum cappellanum, stipe tradita a praefato nobili viro Donati, qui altare ipsum de omnibus manutenet. Visitavit sacristiam, a latere epistolae sitam et sacras [25^v] suppellectiles ac vasa sacra, de quibus sufficienter est provisum. Ordinata. Tabernaculum intus vestiatur panno serico albo – pixis parva ad usum communicandi infirmos cooperiatur decenti conopeo – mensa altaris sanctae Tuscanae et mensa quoque altaris sancti Francisci fiant marmoreae – provideatur missale romanum recentis editionis – provideatur velum supererale ad usum communionis infirmorum – patena anteriori in parte inauretur et in parte posteriori saltem dealbetur – provideatur labellum cum suo manutergio pro abluendis manibus sacerdotum missam celebrantium. Quibus habitis, ad aedes parochiales reversus est. Die dicta 10 maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, sub baldachino consueto decore susceptus honorificeque comitatus, ad ecclesiam parochialem ductus fuit, qua de more ingressa, fuis [26] ante altare maius genuflexus Altissimo precibus, piam pro celebratione missae praeparationem emisit. Indutus vero sacerdotalibus paramentis, duobus sacerdotibus in dalmaticis inservientibus, missam celebravit et quampluribus utriusque sexus christifidelibus sacrosanctum Eucharistiae sacramentum ministravit. Actis Deo optimo maximo debitis gratiis, unius ex suis cappellanis missam audivit et subinde nonnullis utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit ac calicem consecravat. His expletis, ad aedes parochiales reversus, pro tribunali sedit, coram quo, debita cum deveneratione, comparuerunt: admodum reverendus dominus Bartholomaeus Cavalcasselle, archipresbyter huius parochialis ecclesiae plebis nuncupatae Sancti Martini Lemniaci et vicarius foraneus, aetatis suae annorum 56 circiter et ostendit bullas apostolicas collationis et provisionis huius beneficii datas 18 kalendas iulii 1727, quod beneficium per concursum, iuxta [26^v] formam sacri Concilii tridentini, obtinuit ac praesentavit policeas aedicto visitationis praescriptas, in fine huius libris sub littera **B** repositas nec non ostendit librum status animarum; alios vero baptizatorum, matrimoniorum ac mortuorum ostendet reverendus dominus cappellanus curatus, penes quem custodiuntur. Interrogatus de suo clero et populo et an adsint haeretici aut de haeresi suspecti, publici peccatores aut publica scandala, respondit de iis de quibus indoleat iam oretenus collocutum fuisse cum sua illustrissima et reverendissima dominatione; in reliquis recte respondit. Reverendus dominus Bonifacius Bricci, sacerdos de Sancto Bonifacio aetatis suae annorum 77, primus cappellanus coadiutor cappellaniae Sancti Martini in dicta parochiali, cum bullis pontificiis datis pridie idus decembris 1710, executis in cancellaria episcopali die 16 ianuarii 1711, qui onus suum coadiuvandi in cura animarum personaliter exercet

et ostendit libros parocchiales mortuorum, baptizatorum et matrimoniorum, bene tentos. [27] Reverendus dominus Antonius Casari, sacerdos aetatis suae annorum 55, cappellanus sanctimonialium Sancti Bartholomaei huius fortilitii. Reverendus dominus Ioannes Stringari, sacerdos de Mirandula, regiensis diaecesis, cum litteris dimissorialibus sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii die 23 decembris 1739 ad biennium datis et cum mandato huius curiae episcopalis diei 14 martii 1740 ad annum pro cura huius plebis et est humanarum litterarum praeceptor. Reverendus dominus Ioseph Garzetta, sacerdos de Portu aetatis suae annorum 39 circiter, in hac plebe cappellanus ad altare sancti Laurentii. Reverendus dominus Ioannes Franciscus Arlotti, sacerdos de Hostilia huius veronensis diaecesis, modo sub hac plebe degens, aetatis suae annorum 36 circiter. Reverendus dominus Horatius Cazzanigo, sacerdos huius plebis aetatis suae annorum 45 circiter, primus cappellanus sanctimonialium venerabilis monasterii Sancti Bartholomaei huius fortilitii nec non confessarius, cum mandato 13 ianuarii 1740 ad annum pro cura huius [27^v] plebis concessio. Qui omnes, multa cum veneratione suorum ordinum attestaciones eorum mandata et coetera respective requisita ostenderunt. Reliqui sacerdotes et clerici, cum hora esset nimis tarda, in crastinum ad comparandum remissi sunt et, facto examine infrascriptae obstetricis, prandium sumpsit. Comparuit Cattarina, uxor Bartholomaei Chiovato aetatis suae annorum 38 obstetrix, quae examinata se aptam et comendabilem ostendit. Altera obstetrix, Cattarina uxor Ioseph Lonardi, non comparuit, forsitan suo munere detenta, sed illam admodum reverendus archipresbyter habilem asseruit et bene instructam de ministratione baptismi in casu necessitatis. Porro super supplicatione per reverendum dominum curatum de Hortis sibi hesternae die praesentata, decrevit ut sequitur.

Eccellenza reverendissima. Die 9 maii 1740 in visitatione Sancti Martini Lemniaci praesentata per infrascriptum reverendum dominum curatum Hortorum una [28] cum aliquibus suis sacerdotibus, instando et cetera. Quando fosse di piacere di vostra eccellenza reverendissima, desiderarei io sottoscritto curato di Orti, paroco amovibile, essere ammesso alla congregazione di Angiari, a motivo d'essere contiguo con la cura che essercito e poi per aver da quella chiesa ogni alimento ecclesiastico per tutto il tempo dell'anno, unito con il mio cappellano et altri sacerdoti essistenti et abitanti nella mia cura, non intendendo di niente pregiudicare alla congregazione di Minerbe, a cui per l'avanti ero ammesso. Io don Rocco Porta curato di Orti.

Die 10 dicti mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus veronensis, comes et cetera, visa, lecta et mature perpensa supplicatione antedicta, cum ex habitis informationibus cognoverit vicariam Minerbii esse sacerdotibus et congregatis abundantem illamque Englarii parvo numero constare, supplicationem ipsam admisit eidemque favorabiliter annuendo reverendum curatum Hortorum cum suis [28^v] sacerdotibus et clericis, a vicaria Minerbii solvendo, vicariae foranae Englarii subiecit et ita et cetera, omni et cetera. Ioannes episcopus veronensis.

Die antedicta 10 maii 1740 post prandium. Cupientes academici viri Lemniaci pro collato visitationis munere erga suam illustrissimam et reverendissimam dominationem grati animi monumentum praestare, reverenter petiverunt ut illustrissimus et reverendissimus praesul digneretur interesse accademiae, oratoria et poetica facultate elaboratae in ecclesia publice habendae, quorum petitionibus benigne et libenter annuit. Ideo honorifica pompa sub baldachino exceptus et concomitatus, ad parochialem ecclesiam venit et, praestita Altissimo piis precibus adoratione, in throno sibi parato sedens, triginta academicorum vario metro et soluta oratione eleganter elaboratas elucubrationes, laudes, merita et virtutes suae illustrissimae ac revrendissimae dominationis representantes, animo humili ac benigne audivit. Soluta accademia, illustrissimus et reverendisissimus praesul iisdem academicis suae humanitatis et [29] paterni amoris eleganti modestia testimonium praebeuit. Porro facta hora tarda, suis familiaribus comitatus, illustrissimum et excellentissimum dominum provisorem et capitaneum Lemniaci privata forma invisit, multo amore et reverentia receptus. Ad aedes vero parochiales restitutus, tertiam partem sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis, una cum suis familiaribus recitavit et incoenatus pernoctavit. Die mercurii 11 mensis maii 1740. Parochialem sacerdotum et clericorum visitationem heri inceptam et ad hanc diem prorogatam proseguendo, pro tribunali illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus sedit; coram quo comparuerunt: reverendus dominus Petrus Vidali filius quondam Andreae, sacerdos huius parochiae aetatis annorum 32 circiter. Reverendus dominus Ioannes Maria Malvezzi, sacerdos huius parochiae et cappellanus confraternitatis sanctissimi Rosarii, ad cuius cappellaniae titulum ordinatus fuit, aetatis suae annorum 34 circiter. [29^v] Reverendus dominus Laurentius Vidali, sacerdos cappellanus ad altare sanctae Catharinae in hac parochiali et confessarius, cum mandato episcopali die 28 ianuarii 1740, ad annum confirmato, aetatis annorum 40 circiter. Reverendus dominus Dominicus Bianchi, sacerdos aetatis suae annorum 30 circiter. Reverendus dominus Ioannes Giminiani, sacerdos huius parochiae et cappellanus ad altare beatae Mariae Virginis nec non confessarius, cum mandato episcopali hodie ad annum confirmato, aetatis suae annorum 41 circiter.

Reverendus dominus Iacobus Antonius Bonacina iuris utriusque doctor, sacerdos huius parochiae, aetatis suae annorum 29 circiter, confessarius cum mandato episcopali die 8 decembris 1730, ad annum confirmato pro maribus et mulieribus infirmis. Reverendus dominus Antonius Panzani, sacerdos de Santo Martino, aetatis suae annorum 28 circiter. Reverendus dominus Franciscus Peccorari, sacerdos capellanus officiatorum Facini ad altare sanctissimi Corporis Christi in hac parochiali, ad cuius titulum ordinatus fuit, aetatis suae annorum 33 circiter. Reverendus dominus Firmanus Garzotti iuris utriusque doctor, sacerdos patavinus [30] hic comorans, cum suis dimissorialibus die 7 septembris 1738, ad biennium concessis et cum mandato episcopali pro celebranda missa die 11 aprilis 1740 usque ad terminum suorum dimissorialium confirmato, aetatis suae annorum 29 circiter. Reverendus dominus Melchior Avrese, sacerdos huius parochiae et confessarius, cum mandato episcopali die hesternum ad annum confirmato, aetatis suae annorum 32 circiter. Reverendus dominus Ludovicus Luccioli, sacerdos aetatis suae annorum 49 circiter. Reverendus dominus Ioannes Gianella, sacerdos aetatis suae annorum 45 circiter. Reverendus dominus Petrus Zuccoli, sacerdos huius parochiae et cappellanus officiatorum suae familiae ad altare sanctae Luciae in hac parochiali, ad cuius titulum ordinatus fuit nec non confessarius, cum mandato episcopali die 6 augusti 1739 ad annum confirmato, aetatis suae annorum 41 circiter. Reverendus dominus Carolus Antonius Gramegna, sacerdos aetatis [30] suae annorum 34 circiter. Reverendus dominus Vincentius Pesenti, sacerdos de Sustinentia, modo sub hac parochia comorans, confessarius cum mandato episcopali pro hac cura die 27 iulii 1739 ad annum confirmato, aetatis suae annorum 50. Reverendus dominus Dominicus Bellè, appellatus Nogaroto, sacerdos aetatis suae annorum 26 circiter. Reverendus dominus Ioseph Bellè, sacerdos cappellanus cum bullis episcopalibus diei 28 augusti 1724 cappellaniae ad altare sancti Petri martiris in hac parochiali, de iurepatronatus illorum de Peccorariis, Bonfà et Mainardi et confessarius cum mandato episcopali die prima martii 1740, ad annum confirmato, aetatis suae annorum 35 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Giacometti, nuncupatus Zanini, sacerdos aetatis suae annorum 28; aegrotat. Venerabilis clericus in minoribus ordinibus constitutus Ioannes Gromi filius Pollidori, aetatis suae annorum 21 circiter. Venerabilis clericus in minoribus ordinibus constitutus Augustinus Luccioli, aetatis suae annorum 22 circiter. Venerabilis clericus in minoribus ordinibus constitutus Iacobus [31] Bellè, aetatis suae annorum 22 circiter, qui monitus fuit ut se muniat debitis requisitis. Caeteri omnes, humillime suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes, sua mandata et respective requisita ostenderunt. Porro a principalioribus et fide dignis testibus perquisivit de vita et moribus ac solertia in suo munere praestando admodum reverendi archipresbyteri nec non de vita et moribus tum sacerdotum tum clericorum huius parochiae et de omnibus bene relatum fuit. Praesentata fuit supplicatio per excellentem doctorem dominum Iosephum Toninetti, super qua decretum fuit ut sequitur, videlicet.

Illustrissimo e reverendissimo prelato. Die 11 maii 1740, in visitatione Sancti Martini Lemniaci praesentata per excellentem doctorem dominum Iosephum Toninetti infrascriptum, instantem et cetera. Avanti monsignor illustrissimo e reverendissimo Giovanni Bragadino, per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo, [31] conte e prelato domestico di Verona e sua diocese, riverentemente espongo io Giuseppe Toninetti aver abitazione rusticale esistente in contrà di San Vito territorio di Porto sotto la diocese di vostra signoria illustrissima e reverendissima fra li limiti della pieve di san Pietro in Porto, disgiunta detta abitazione dalla matrice per un miglio e mezzo circa, così che ne tempi invernali per la distanza dalla parochia avviene che alle volte gl'abitanti sotto di me esponente ne tempi sudetti disastrosi invernali perder devono la santa messa festiva e, riflettendo alla pia mente del reverendo signor don Giovanni Battista Fraccaroli, quale con sua ultima disposizione 16 agosto 1736 atti del signor Polidoro Gromi nodaro e cittadino di questa patria, ha comandata l'erezione d'una mansionaria quotidiana, con l'entrate annuali di ducati ottanta quattro, che non è stata ricevuta per tal summa da confratelli di san Giovanni gerosolimitano e s'attrova ora giacente in Legnago; però sarebbe mia intenzione d'accrescere l'offerta destinata dal testatore quando dalla clemenza [32] di vostra signoria illustrissima e reverendissima mi fosse benignamente concesso il poter fabricare da fondamenti un publico oratorio nella sudetta contrà di San Vito et ivi trasferire e far celebrare la quotidiana messa, come avanti testata; per il che, senza mai pregiudicare punto al diritto parochiale in qual si sia minima cosa, supplico umilmente l'autorità e bontà di vostra signoria illustrissima e reverendissima di suo favorevole decreto sopra l'una e l'altra grazia, a fine e di adempire la sudetta testamentaria volontà e di giovare al popolo convicino con la santa messa, esibendomi pronto a dotare il medesimo orto per la sua onesta manutenzione. Grazie.

Die dicta 11 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus veronensis, comes et cetera, visa, lecta et mature perpensa supplicatione ut ante sibi reverenter praesentata, illam admisit si et in quantum et cetera et, habito oretenus consensu admodum reverendi archipresbyteri Sancti Petri

Portus, quem iussit [32^v] etiam in scriptis exarare debere, mandavit in primis et antequam et cetera locum ipsum in quo supplicatum oratorium construere intendit visitandum esse, quam visitationem demandavit illustrissimo suo vicario visitationis faciendam occasione visitationis parochialis Sancti Petri Portus et ita et cetera, omni et cetera. Ioannes episcopus veronensis.

His absolutis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, consuetis honoribus concomitatus, in parochialem ecclesiam descendit, quam de more ingressus est et, emissa pia praeparatione pro sacro faciendo, missam celebravit et subinde unius ex suis cappellanis audivit. Porro petitionibus sibi humiliter porrectis favorabiliter annuendo, pontificalibus indutus Confirmationis sacramentum aliquibus utriusque sexus christifidelibus ministravit. In aedes parochiales se se recepit et, cum hac die a prandio suum statuerit discessum ad parochialem Sancti Petri iturus, domini syndici gratiarum actionum officia obsequentissimis verbis nomine totius communitatis [33] praestiterunt eiusque iter felicitate auspicati sunt. Illustrissimus quoque et excellentissimus dominus provisor fortilitii, privato sed officiosissimo cultu, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem adivit, inter quos amoris et humanitatis partibus expletis, recessit. Quibus actis, prandium sumpsit. Die antedicta 11 maii 1740 post prandium. Prandio sumpto, accesserunt dominus gubernator armorum et domini deputati qui, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes cum gratiarum actione, iter suum felicitarunt. Porro omnibus dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus praesul in ecclesiam descendit et de more cum recitatione *De Profundis*, suam pastorem visitationem huius plebis Sancti Martini Lemniaci clausit. Subinde cum gaudio et multo apparatu a reverendo rectore Sancti Petri et pluribus hominibus eiusdem loci equitantibus, clangentibus tubis, obsequenter receptus, quadrigam ascendit et, concomitatus a reverendo domino archipresbytero Sancti Martini, dominis deputatis, nonnullis sacerdotibus [33^v] aliisque viris nec non ab equestribus militibus ab illustrissimo et excellentissimo domino provisoro ad id iussis stipatus, iter suum ad parochialem Sancti Petri direxit. Tum ad vigiliis illustrissimi et excellentissimi domini provisoris tum ad portas fortilitii accedens et pertransiens militaribus obsequiis honoratus fuit. Iter proseguendo, finibus Sancti Petri propinquans obvios habuit dicti loci milites pedestres tympanis obstrepentibus; subinde processionaliter pueros ac puellas doctrinae christianae pias laudes decantantes et plurimum populum laetabundum suam illustrissimam et reverendissimam dominationem obsequentissime suscipientem, ad aedes illorum de Casalis, civium venetorum, ducitur ubi, attenta angustia domus parochialis, suam mansionem fixit. Peractis vero erga suam illustrissimam et reverendissimam dominationem obsequiis et eiusdem suae humanitatis officiis pluribusque explosionibus honoratus, cum sua familia se se recepit et tertiam partem sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis recitavit incenatusque pernoctavit.

[34] [A margine: SAN PIETRO DI LEGNAGO] Die iovis 12 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus praesul, volens hac mane suum solemnem habere ingressum in ecclesiam Sancti Petri Lemniaci, omnibus bene dispositis, solemni pompa sub baldachino a quatuor selectis viris gestato receptus fuit et in egressu domus deosculata cruce a reverendo domino Ioanne Bertinati dictae ecclesiae rectore pluviali induto oblata, processionaliter cum cantico *Benedictus* ecclesiam adivit. In eiusdem limine aspergillo, a reverendo rectore porrecto, recepto, populum aspersit et thurificationis honorem ab eodem rectore praestito recepit. Inde pulsantibus campanis, organis sonantibus, datis explosionibus, tubis clangentibus obstrepentibusque tympanis, solemnem suum in ecclesiam habuit ingressum. Ante altare maius genuflexus, pias Altissimo preces fudit; interim consuetis decantatis, altare ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, praemissa confessione, de suo mandato publicatam, [34^v] impartitus est. Inde sibi paratum tronum ascendit ubi, duobus sacerdotibus dalmaticis indutis assistentibus et inservientibus, pontificalibus violacei coloris vestitus fuit et exequias pro defunctis de more in ecclesia et coemeterio absolvit. Dimissis vero violaceis sumptisque albis apparamentis, adoratione, hymno et thurificatione praemissis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in tabernaculo marmoreo, in pixide argentea, in pede tamen et operculo cuprea inaurata, sub sera et clavi custoditum, quod renovari temporibus debitis assertum fuit. Sub hac cura animae quae sacram communionem sumunt recensentur 1025, in totum 1500, quarum nulla – Deo dante – fuit paschali tempore inconfessa, quibus propterea eo tempore distribuuntur schedae et recoliguntur. Lampas ante sanctissimum Sacramentum nocte dieque ardet accensa, sumptibus reverendi rectoris pro medietate [35] anni, pro alia vero medietate a societatibus eiusdem ecclesiae, a quibus etiam cerae manutinentur. Ex factis perquisitionibus habuit sanctissimum Eucharistiae sacramentum ad infirmos decenter associari ac propterea extare quatuor fanalia, umbellam, baldachinum, tronum coeteraque ad id opportuna; populum vero ad dictam associationem per consueta signa convocari et associantibus impartitas indulgentias publicari; eiusdem Sanctissimi processionem in festo Corporis Christi solemniter fieri. Quibus actis, quampluribus utriusque sexus

christifidelibus paterno amore suis manibus hoc sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Reposito Sacramento, piam pro celebranda missa praeparationem emisit indutusque sacerdotalibus paramentis sacrum fecit et subinde iterum angelico Pane nonnullos cibavit. Porro debitas Altissimo gratias egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Quibus habitis, ad praedictas suae mansionis aedes se se [35^v] restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 12 maii 1740 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius generalis delegatus fuit ad infrascripta oratoria visitanda ideoque sibi demandatum munus executurus, ad illa se contulit et visitavit: [a margine: Beata Vergine Maria in Mezzana] publicum oratorium sub invocatione Sanctae Mariae ad Nives vel Sancti Antonii, in contrata vulgo *della Mezzana*, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Petri Lemniaci, de ratione nobilis domini comitis Ioannis Baptistae Pompei, a quo de omnibus manutenetur. Unicum extat altare ligneum cum portatili et icone, in quo ex devotione tantum – ut assertum fuit – celebratur diebus festis per reverendum dominum Ioannem Cavalini, sacerdotem de Englario, stipe ducatorum triginta. Vidit in ecclesia expositam capsulam pro colligendis eleemosynis. Visitavit sacristiam contiguam a latere epistolae et sacras ibi suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missae, quam sufficienter provisam invenit. [36] Porro reverendus rector Sancti Petri exposuit et indoluit reverendum praedictum cappellanium, nullo suo habito consensu nullaque petita licentia, libitum sibi facere in eodem oratorio sacramentales confessiones excipere, Eucharistiae sacramentum ministrare, benedictiones exercere ac *Passium* colligere idque in spretum et damnum iurium parochialium. Ordinata. In sacristia construatur scamnum seu bancum pro reponendis et servandis sacris apparamentis – cappellanus huius oratorii nihil praemissorum nihilque quod sapiat parochialitatem et ad parochiales functiones pertineat in eodem oratorio, invito et insulto reverendo rectore, audeat peragere, in poenam arbitrio nostro infligendam. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Francesco della Paganina] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci, erectum in contrata vulgo *La Paganina* infra limites parochialis ecclesiae Sancti Petri Lemniaci, alias de [36^v] ratione nobilis domini Tiberii Lavezola, modo vero de ratione nobilium dominorum Ioannis, Eusebii et Claudii de Parmis Lavezola, a quibus de omnibus manutenetur. Duo ibi sunt altaria, nempe: altare maius marmoreum, divo Francisco dicatum cum portatili et icone, in quo celebrat reverendus dominus Ioachim Mainardi, sacerdos de Cavarzare clodiensis diaecesis, assertum fuit ex devotione sed reverendus rector testatur legatum adesse missam celebrandi bis in qualibet hebdomada. Altare beatae Mariae Virginis ligneum cum portatili, angustae tamen formae, indecens et destitutum ac iam suspensum, in qua suspensione remanere debere decrevit. Retro altare vidit sacristiam et sacras suppellectiles pro celebratione missae, de quibus sufficienter provisum esse cognovit. Supra portam dicti oratorii haec legitur inscriptio: “Ecclesiam hanc a nobili Lavezolarum familiae [37] excitatam, vetustate tandem ruinam minantem Tiberius Lavezola aere suo meliorem in formam a fundamentis reedificavit MDCIIC”. Quibus habitis et cetera. [A margine: Beata Vergine Maria detto Bragadina] Visitavit publicum oratorium Beatae Mariae Virginis a Salute dicatum, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Petri Lemniaci erectum, de ratione nobilis viri equitis et procuratoris Danielis Bragadini patritii veneti, a cuius pietate decore de omnibus manutenetur. Unicum extat altare marmoreum, pulchrae et elegantis formae, tribus statuīs marmoreis ornatum cum portatili, in quo ex devotione praefati nobilis viri quotidie sacrosanctum missae sacrificium celebratur per reverendum dominum Bernardinum Pizzinato. Retro altare visitavit sacristiam et ibi sacras suppellectiles pro sacro faciendo necessarias, de quibus recte provisum esse invenit. Quibus habitis et cetera. [37^v] [A margine: San Salvator] Visitavit publicum oratorium seu simplicem ecclesiam Sancti Salvatoris, quam traditur antiquitus fuisse parochialem, infra limites et non procul a parochiali Sancti Petri Lemniaci, de ratione societatis sub eodem titulo Sancti Salvatoris inibi erectae, a qua ex redditibus ecclesia ipsa de omnibus manutenetur. Duo sunt altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius, Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi, ex marmoribus collustratis et statua eleganti forma elaboratum cum portatili; retro extat chorus, figurae semicircularis. Prope chorum a latere epistolae habetur sacristia, quam et paramenta sacra ibi servata visitavit et bene provisam et tentam invenit. Altare sanctorum Agatae, Luciae, Appolloniae et Catharinae martyrum, in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis ligneum, de ratione societatis praedictae, a qua manutenetur illudque vult integre marmoreum decentiorem in formam redigere et iam parata sunt marmora ad hoc [38] opus opportuna. Nonnulla sunt onera missarum, quae ex legatis adimplere facere tenetur dicta societas et ea adimplet reverendus dominus Ioseph Bennati, eiusdem societatis cappellanus; heae missae numerum implent centum octuaginta quatuor, ultra tres missas in qualibet hebdomada, una scilicet pro quondam domino Iulio Cagallo, alia pro quondam domino Stephano Santi et altera pro quondam domino Alphonso Burri, prout in policea praesentata et in fine huius libri sub littera C reposita. Qui cappellanus celebrat praedictas missas in dicta ecclesia et in ecclesia subterranea infra descripta, stipe ducatorum centum ultra domum ecclesiae contiguam, quam inhabitat una cum horto quo fruitur et dictam stipem percipit a

massario societatis. Visitavit ecclesiam inferiorem seu oratorium subterraneum, iacens sub altari maiori praefatae ecclesiae, ubi extat altare marmoreum [38^v] in mensa cum portatili, beatae Mariae Virgini dicatum, in quo celebratur ut supra. Huc confratres antedictae societatis conveniunt recitaturi officium beatae Mariae Virginis; visitantes hanc ecclesiam festo die tertio Paschatis fruuntur indulgentia plenaria, prout ex brevi apostolico die 16 ianuarii 1734, ad septennium concessio. Vidit totam ecclesiam, tribus navibus compactam et ante ipsam coemeterium, in quo antiquitus humabantur cadavera; modo vero nemo sepellitur. Extat lapis in quo legitur: “Contessa Matilde hoc opus fieri fecit 1147 – D. I. C.”. Quibus habitis, ordinavit paramenta sacra quotidiani usus ubi indigent laudabiliter sarciri. Absoluta horum oratoriorum sibi demandata [39] visitatione, ad praefatas aedes mansionis illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi se se restituit. Illustrissimus et reverendissimus antistes, ut ante honorifice receptus et concomitatus, ad parochialem ecclesiam venit, doctrinam christianam visitaturus. Quapropter in primis suo in throno sedens, de ipsa doctrina christiana libenti animo orationem a clerico habitam audivit. Subinde per varias interrogationes perquisivit qualis sit ordo, cultus et frequentia huius tam proficui operis nec non quomodo edoctus sit populus, diligenti examine pueros et puellas experiendo circa misteria fidei aliaque ad aeternam salutem scitu neccessaria nec de quo indoleat invenit, omnes in Domino enixe hortans ut magis magisque in dies insudent in tanto opere Deo gratissimo animarumque salutis neccessario. Porro affluentiori populo utriusque sexus magno cum labore et amore Confirmationis sacramentum [39^v] ministravit. Quibus actis, ad suae mansionis aedes reversus est et, una cum suis familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii recitata cum litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die veneris 13 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus praesul, consuetis honoribus receptus et concomitatus, parochialem ecclesiam petiit et, emissa pia praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium celebravit; inde nonnullis utriusque sexus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Gratias Deo optimo maximo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Aliquibus vero utriusque sexus humiliter petentibus paterno suo amore Confirmationis sacramentum administravit. Quibus absolutis, ad suas aedes se se restituit. Verum dum praemissa agerentur, illustrissimus dominus vicarius generalis pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: Ioseph Venturi syndicus, Petrus Fantini subsyndicus, [40] Baptista Bertolato massarius sancti Ioseph, Baptista Tebon massarius sanctissimi Rosarii, Ioseph Sandrini submassarius, Ioannes Gambarin massarius Animarum Purgatorii, qui de eorum respective massariis rationem dederunt et subinde humiliter exposuerunt cupere pro maiori populi opportunitate doctrinam christianam, missam parochialem et contiones quadragesimali tempore haberi hora magis sollicita et non adeo tarda et ita et cetera. Qui nec non alii fide digni interrogati de vita, moribus et diligentia in suo munere fungendo reverendi rectoris nec non de vita et moribus aliorum sacerdotum et clericorum et de omnibus in reliquis recte retulerunt. Comparuit admodum reverendus dominus Ioannes Bertinati, sacerdos de Sancto Martino Lemniaci aetatis suae annorum 50 circiter, rector huius parochialis ecclesiae Sancti Petri Lemniaci, quam obtinuit per concursum iuxta praescriptum Concilii tridentini, cum bullis huius curiae [40^v] episcopalis diei 25 septembris 1734, quas ostendit una cum libris parochialibus baptizatorum, matrimoniorum et mortuorum ac status animarum, bene tentos; insimul praesentavit policeas iuxta visitationis edictum, in fine huius libri sub littera C repositas. Interrogatus de suo clero et populo et an adsint haeretici vel de haeresi suspecti, usurarii, publici peccatores et cetera, respondit recte tam de clero quam de populo. Comparuerunt subinde reverendus dominus Andreas Fontana, sacerdos regiensis diaecesis, cum suis dimissorialibus die 22 februarii 1738 ad triennium concessis et exhibuit mandatum episcopale pro hac cura die 4 maii 1740, confirmato usque ad terminum suarum dimissorialium; agit modo aetatis suae annum 56 circiter. Reverendus dominus Ioannes Mainardi, sacerdos de Cavarzere clodiensis diaecesis, aetatis suae annorum 57, modo comorans sub hac paroecia, qui requisitus de suis mandatis dixit carere; propterea [41] monitus fuit ut, termino dierum duodecim, iis se muniat illisque munitus coram et cetera se praesentet et ut diligenti famulatu huic ecclesiae parochiali inserviat, aliter et cetera. Reverendus dominus Ioseph Bennati, sacerdos de Campilia vicentinae diaecesis, aetatis suae annorum 31, suis dimissorialibus munitus die prima februarii 1738, ad triennium concessis et cum mandato huius curiae episcopalis pro sacramentalibus confessionibus excipiendis die 28 ianuarii 1740, confirmato usque ad terminum suarum dimissorialium. Est cappellanus societatis sancti Salvatoris sub hac parochia. Reverendus dominus Ioannes Zenati, sacerdos de Sancto Petro, habens pro hac cura mandatum episcopale ad excipiendas sacramentales confessiones die 14 decembris 1739 ad annum dato; agit modo aetatis suae annum 45 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Pardini, sacerdos Verricullarum sarzanensis diaecesis, cum suis dimissorialibus [41^v] die 9 septembris 1738, ad biennium concessis et cum mandato huius curiae episcopalis die 28 aprilis 1740, confirmato usque ad terminum suarum dimissorialium; agit modo annos 33 circiter. Reverendus dominus Bernardus Piccinato, sacerdos huius parochiae 29 circiter annos natus, cum mandato episcopali pro

excipiendis confessionibus sacramentalibus masculorum et mulierum tantum infirmarum. Venerabilis clericus subdiaconus Felix Dominicus Fratini filius Antonii, aetatis suae annorum 23 circiter de hac parochia. Qui omnes ea qua decet reverentia sua respective requisita et mandata ostenderunt, quae visa eisdem restituta fuere. Subinde idem illustrissimus dominus vicarius generalis ad ecclesiam parochialem se contulit et, ad infra delegatus, visitavit: sacrum fontem baptismalem, in capellula errectum sub suggesto rastris ligneis clausum et sub sera et clavi custoditum. [42] Olea sancta, in loculo marmoreo ad hoc parato a cornu evangelii altaris maioris et in vasis stanneis servata ac sub ostiolo ferreo et clavi custodita; ea percipit reverendus rector a venerabili plebe Sancti Martini Lemniaci, ad quam accedit die sabbathi sancti coadiuturus admodum reverendo archipresbytero, cuius etiam vicariae foraneae ipse reverendus rector et eius ecclesia subsunt. Duo confessionalia stabilia et alterum portatile pro sacramentalibus poenitentium confessionibus excipiendis. Altare maius cum portatili, piorum eleemosinis duobus ab hinc annis ex marmoribus eleganti forma erectum, ubi adest societas sanctissimi Sacramenti, quae habet onera missarum duodecim quolibet anno, prout in policea sub littera C reposita, quibus satisfacit reverendus rector. Vidit icon et, retro altare, chorum. Altare sancti Ioseph, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum auro linitum, de [42^v] ratione societatis ibi errectae sub titulo eiusdem sancti Ioseph, quae altare ipsum manutinet et alia sustinet onera, praecipue missarum legatarum 95 et duorum officiorum, alterum missarum 12 et alterum 10, ex propriis redditibus, prout in policea infra posita sub littera C. Ad hoc altare sancti Ioseph ustoditur et exponitur praecipue die prima maii cum processione ex devotione populi sacra insignis reliquia, caput scilicet sancti Iusti martyris, in arca lignea partim auro linita partimque viridi colore depicta, tribus crystallis compacta, reposita per reverendissimum dominum fratrem Franciscum Antonium Boscaroli episcopum Caprularum die 13 novembris 1678, ex delegatione illustrissimi et reverendissimi domini domini Sebastiani Pisani episcopi veronensis diei 31 augusti anni praedicti, prout ex documentis ostensis, quam recognovit et deveneratus est. Hoc altare visitantes die festo sancti Ioseph fruuntur indulgentia plenaria, prout ex brevi apostolico die 30 martis 1734 ad septennium dato. Altare beatae Mariae Virginis a Spasimo, ex marmoribus anno 1727 piorum eleemosinis reaedificatum cum [43] portatili et statua beatae Mariae Virginis. Manutinetur a societatibus huius ecclesiae et piorum eleemosinis. Hic extat legatum relictum a quondam reverendo domino Hieronymo Ughue, prout in actis domini Hieronymi Cazzanico sub mense octobris 1746, sed cum subsit fideicommisso nondum fuit adimpletum. Altare sanctissimi Rosarii beatae Mariae Virginis, marmoreum in mensa, in reliquis variis ornamentis ex stucco confectus cum portatili et statua, de ratione societatis eiusdem beatae Mariae Virginis ibi errectae et archiconfraternitati almae Urbis agregatae, cum diplomate dato Romae in conventu Sanctae Mariae supra Minervam die 17 septembris 1618 ac cuius aggregationis multis confratres fruuntur indulgentiis et gratiis. Porro dicta societas altare ipsum de omnibus manutinet et nonnullos possidet redditus valoris annuatim librarum 466.13.6, cum onere tamen missarum legatarum 193 et duorum officiorum: unum missarum 12 pro quondam domino Adamante Spolverini et alterum missarum [43^v] 14 pro quondam Alberto Bertele et Catharina eius uxore, prout ex policea praesentata et in fine huius libri sub littera C reposita. Altare sancti Francisci ligneum cum portatili et icone, de ratione domini Ioannis Augustini Casari, civis veneti, successoris quondam nobilis domini Cristophori de Mediis, qui idem altare de omnibus manutinet et ibi ex sua devotione celebrare facit semel in qualibet hebdomada per reverendum dominum Andream Fontanam, sacerdotem regiensis diaecesis. Visitavit sacristiam prope chorum a cornu epistolae erectam et sacras ibi servatas suppellectiles ac vasa sacra, quam parum provisam invenit et ordinavit ut infra. Vidit totam ecclesiam, in qua suggestum ubi concio habetur tempore Quadragesimae diebus dominicis, mercurii et veneris per concionatorem electum a reverendo rectore nec non vidit campanile et coemeterium. Quibus habitis, ordinavit ut sequitur et ad aedes [44] praefatae mansionis se se restituit, prandium sumpturus.

Ordinata. Operculum pixidis in eius culmine muniatur cruce – decens provideatur conopeus variorum colorum pro altari maiori – provideatur statua resurrectionis Domini nostri iesu Christi tempore paschali ad altare maius erigenda – altare maius provideatur de consuetis tribus tabellis – crates confessionalium a parte confessarii muniantur suis asseribus vulgo *portelle* – novum et iuxta mensuram canonicam provideatur portatile ad altare beatae Mariae Virginis a Spasimo et interim idem altare sit suspensum – altare sanctissimi Rosarii provideatur de novis tabellis, *Communio* scilicet, *Lavabo* et *Evangelio sancti Ioannis*. Mensa altaris sancti Francisci fiat marmorea, sub poena suspensionis anno elapso incurrenda nisi id fuerit adimpletum – [44^v] provideatur paramentum sacerdotale cum duabus dalmaticis albi coloris – item provideatur planeta cum stola, manipulo, velo et bursa viridis coloris – planetae et apparamenta existentia prout indigent laudabiliter sarciantur – provideantur duo camisi cum suis cingulis et amictibus – provideatur turibulum cum sua navicula saltem ex oricalco – provideantur duo missalia romana et duo mortuorum – crania in coemeterio inhumata ibi sepeliantur – curet reverendus rector horis opportunioribus haberi sacras functiones, missam

parochialem, doctrinam christianam et sacras conciones et eius sit prudentiae cognoscere et eligere tempus idoneum suo populo pro frequentanda ecclesia sacrisque functionibus – sedula diligentia sacerdotes huius parochiali [45] ecclesiae eiusque sacris functionibus inserviant, prout decretum fuit ab illustrissimo et reverendissimo domino Francisco Trevisano episcopo veronensi in sua pastorali visitatione diei 14 maii 1728, quae decreta servari mandavit. Die antedicta 13 maii 1740 post prandium. Cum illustrissimus et reverendissimus praesul suam pastorem visitationem huius parochialis ecclesiae Sancti Petri Lemniaci absolverit, in ecclesiam consuetis honoribus prosecutus descendit illamque de more cum recitatione *De profundis* clausit. Porro plurimis devenerationis et gratiarum officiis pro collato dono a praedicto reverendo rectore Sancti Petri receptis nec non deveneratus a reverendo rectore Sanctae Mariae Vangaditiae, ad cuius parochialem ecclesiam hac die accedere statuit, ab iisdem rectoribus concomitatus multoque populo militari ordine, et equitando et pedester distributo, tubis tympanisque ressonantibus, quadriga vectus ad dictam parochialem Sanctae [45^v] Mariae Vangaditiae iter suum direxit. Ad confinia perventus, plurima explosione honoratus, populus Sancti Petri recessit et illico quamplures equitantes viros Vangaditiae et subinde alios pedester tubis clangentibus obvios habuit, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem cum laetitia et deveneratione recipientes nec non devota pompa viros et mulieres, pueros ac puellas processionaliter occurrentes. A quibus ad ecclesiam parochialem ductus, cum domus parochialis sit nimis angusta, illam pro sua mansionem statuere non potuit ideoque aedes recepit nobilis domini comitis Iunii Pompei, in quibus moras suas habuit. Porro absolutis caeremonialibus officiis quibus sua illustrissima et reverendissima dominatio devenerata fuit, cum suis familiaribus tertiam partem sanctissimi rosarii cum litanis beatae Virginis Mariae recitavit et incoenatus pernoctavit. Die sabbathi 14 mensis maii 1740. Facto mane omnibusque recte dispositis, illustrissimus

[46] [a margine: VANGADIZZA] et reverendissimus dominus dominus episcopus, cum deveneratione sub baldachino a quatuor scelectis viris gestato receptus fuit et, in egressu domus suae mansionis deosculata cruce sibi a reverendo rectore pluviali induto oblata, processionaliter, tubis tympanisque honoratus, parochialem ecclesiam Sanctae Mariae Vangaditiae adivit, in cuius limine de more, aspergillo accepto a reverendo rectore, populum aspersit; subinde ab eodem reverendo rectore thurificationis honore recepto, solemniter ecclesiam ipsam ingressus est. Ante altare maius genuflexus, paulisper oravit et, consuetis antiphonis et orationibus interim decantatis, altare ascendit titularisque oratione recitata, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato, praehabita confessione, publicatam impartitus est. Ad thronum a latere evangelii paratum venit ibique apparamentis violacei coloris indutus exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio [46^v] de more absolvit. Sumptis vero paramentis albi coloris praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius marmoreum honorifico in tabernaculo et pixide in cupa argentea, intus auro lineata servatum et sub sera et clavi custoditum, quod temporibus debitis renovatur. Sub hac cura animae quae sacram communionem sumunt numerantur 645 circiter, in totum vero 913, quarum nulla in Paschate – Deo dante – reperta fuit inconfessa. Lampas nocte dieque ante sanctissimum Sacramentum manutenetur accensa, pro medietate anni a reverendo rectore, pro alia vero medietate a societate eiusdem sanctissimi Sacramenti, quae supplet etiam pro cereis. Vidit suppellectiles pro decora associatione eiusdem sanctissimi Sacramenti ad infirmos, pro qua dicta societas quatuor intortitia ministrat. Asseruit reverendus rector ad hoc pium opus convocari populum [47] per consueta signa et indulgentias associantibus concessas publicari; in festo Corporis Christi cum eodem Sacramento solemnem fieri processionem; in Paschate communicatis distribui schedas et subinde recoligi. Subinde quampluribus utriusque sexus christifidelibus suo paterno amore sacrosanctum Eucharistiae sacramentum ministravit. Emissa autem pia praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium peregit; summo Deo gratias egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Negotiis autem suae visitationis incumbens, rochetto et stola indutus visitavit: sacrum fontem baptismalem, a latere evangelii in quadam capellula erectum, rastris clausum et sub clavi custoditum. Olea sancta, in loculo marmoreo a latere evangelii altaris maioris ad hoc parato, in vasis stamneis servata sub ostiolo ferreo et clavi custodita. Illa reverendus rector recipit a plebe [47^v] Sancti Martini Lemniaci, ad quam accedit die sabbathi sancti illius archipresbytero inserviturus. Vidit confessionalia in ecclesia exposita pro excipiendis sacramentalibus poenitentium confessionibus. Visitavit altare maius, ex marmoribus constructum cum mensa consecrata; retro habet chorum cum icona, quod manutenetur a societatibus sanctissimi Sacramenti et sanctissimi Rosarii, ex propriis redditibus. Hoc altare est dicatum Nomini beatae Mariae Virginis. Altare sanctissimi Corporis Christi, ex marmoribus quoque confectum cum portatili; manutenetur, ex propriis redditibus annui valoris librarum 808 circiter, per massarios administratis seu per societatem eiusdem sanctissimi Corporis Christi ibi erectam. Nonnulla extant onera legataria, prout in pollicea exhibenda, quibus satisficit. Altare sancti Rochi

marmoreum cum portatili, quod fruitur annuis redditibus valoris circiter librarum 78, cum onere unius officii missarum sex ex legato quondam Vincentii Podestà et missarum sex [48] in anno ex legato quondam Ioannis Pacegato, quibus satisfit; hoc altare manutinetur ex dictis redditibus, per massarium ministratis. In hoc altari custodiuntur, in quadam arca lignea auro linita crystallo anteriori in parte munita, nonnullae sacrae reliquiae sanctorum Christi martirum, scilicet Romani, Felicis, Florae, Geminiani et Felicissimae, intus bene clausae cum suis documentis, quas cum deveneratione recognovit. Altare sanctissimi Rosarii, marmoreum cum portatili, de ratione societatis eiusdem beatae Mariae Virginis a sanctissimo Rosario, a qua de omnibus ex redditibus manutinetur. Qui annui redditus non tam levis sunt valoris: assertum enim fuit ascendere ad libras 1125, ex quibus nonnulla sunt onera legataria sustinenda, prout in policea praesentanda. Altare sancti Antonii, aliqua in parte marmoreum cum portatili, annuo redditu librarum 251 dotatum, ex quibus manutinetur et onera legatorum adimplentur ut in policea praesentanda. Hic [48] diebus festis celebratur et iuxta annuos redditus ex legato quondam reverendi domini Bignoti, cuius commissarius est reverendus rector. Visitavit chorum et sacristiam, prope altare maius erectam nec non sacras suppellectiles, de quibus sufficienter est provisum. Visitavit coemeterium ecclesiae adnexum et totam ecclesiam, quae est consecrata die 29 novembris 1676 ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo Caprularum, permittente illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi et est filialis venerabilis plebis Sancti Martini Lemniaci, a qua provisionem recipit. In ea vidit suggestum in quo, tempore Quadragesimae, concionatur per concionatorem electum ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo veronensi. Quibus absolutis, ordinavit ut infra et, ad aedes suae mansionis reversus, prandium sumpsit. Ordinata. Ianua tabernaculi vel pingatur vel panno serico albo intus vestiatur – provideatur baldachinum honorifica forma constructum [49] coloris albi – provideatur fanale maius, quod praecedat in deferendo sanctissimo Sacramento ad infirmos – provideatur statua resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, erigenda tempore paschali ad altare maius – locus oleorum sanctorum intus vestiatur panno serico violacei coloris – exhibeantur policeae annuorum reddituum et onerum altarium et societatum huius ecclesiae – fons baptismalis provideatur de ciborio nuceo et conopeo.

Die antedicta 14 maii 1740 post prandium. Convocato populo per consueta signa, illustrissimus et reverendissimus praesul, doctrinam christianam visitaturus, honorifice ut ante receptus et concomitatus, ad ecclesiam parochialem venit et, factis perquisitionibus de cultu, frequentia et ordine huius tanti operis, per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem necessariis, pueros et puellas expertus est, quos sufficienter instructos [49] invenit. Caeterum plurimum in Domino cultum et frequentiam tam proficui operis omnibus comendavit. Subinde quampluribus christifidelibus utriusque sexus Confirmationis sacramentum ministravit et ad aedes suae mansionis se se restituit. Illustrissimus vero dominus vicarius generalis, ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo delegatus, se contulit ad visitandum oratorium infrascriptum, scilicet [a margine: San Michel del Paradiso] publicum oratorium sub invocatione Sancti Michaelis Arcangeli, erectum in contrata nuncupata *il Paradiso* infra limites parochialis ecclesiae Sanctae Mariae Vangaditiae, alias de ratione familiae Zanzoni de Lemniaco, modo manutentum a devotione et pietate domini Ioannis Petri Gianella. Unicum extat altare ligneum cum portatili, in quo dictus dominus Ioannes Petrus Gianella ex sua liberalitate et devotione celebrare facit sacrosanctum missae sacrificium festis diebus, quod modo celebrat reverendus dominus Dionysius Antonius Garbo. Retro altare vidit parvam sacristiam, quam [50] cum sacris suppellectilibus visitavit et ordinavit. Ordinata. Provideatur planeta violacei coloris, cum manipulo, stola, velo et bursa – fiat fons pro abluendis manibus sacerdotum cum suo manutergio – altare provideatur de novis tabellis, *Convivio* scilicet, *Lavabo* et *Evangelio sancti Ioannis* – in culmine vero ecclesiae erigatur crux ferrea. Quibus habitis, ad solitae mansionis aedes reversus est et, recitata de more ab illustrissimo et reverendissimo domino praesule cum suis familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii cum litiis beatae Mariae Virginis, incensus pernoctavit. Die dominico 15 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, peracto in ecclesia parochiali sacrosancto missae sacrificio, negotiis suae visitationis incumbens pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: reverendus dominus Ioseph Bertelli, sacerdos de Minerbio aetatis [50] suae annorum 64 circiter, rector parochialis ecclesiae Sanctae Mariae de Vangaditia, quam obtinuit per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini, cum bullis pontificiis datis die 17 kalendas novembris 1709, quas ostendit; simul debita cum veneratione ostendit libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum et mortuorum ac status animarum nec non praesentavit policeam iuxta aedictum visitationis, in fine huius libri sub littera **D** repositam. Interrogatus de suo clero et populo, de utroque recte respondit et dimissus recessit. Reverendus dominus Policarpus Bertelli, sacerdos et curatus huius ecclesiae, cum mandato pro excipiendis sacramentalibus confessionibus die 6 iulii 1739 ad annum confirmato; agit modo aetatis suae annum 35 circiter. Reverendus

dominus Dionysius Garbo, sacerdos huius loci 34 circiter annos natus, confessarius cum mandato confirmato ad annum die 25 maii 1739. Qui cum deveneratione sua requisita et mandata ostenderunt, quae visa eisdem restituta fuere. [51] Sumpsit autem a fide dignis informationes de vita et moribus ac solertia reverendi domini rectoris in suo munere fungendo et reverendorum sacerdotum et clericorum et bona habuit. De obstetricibus quoque perquisivit, quae tres hic numerantur et reverendus rector testatus est esse idoneas et de ministrando sacramento baptismi in casu neccessitatis bene edoctas. Quibus habitis, prandium sumpsit. Die antedicta 15 maii 1740 post prandium. Absoluta iam sua pastoralis visitatione, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad parochialem ecclesiam multo comitatu honoratus venit ibique cum recitatione *De Profundis* et cetera, eiusdem parochialis Vangaditiae suam visitationem ut supra absolutam de more clausit receptisque a reverendo domino rectore, clero et populo dicti loci cum deveneratione gratiarum actionibus, rheda vectus ad parochialem ecclesiam Sancti Martini de Vico iter arripuit. Usque ad confinia honorifice concomitatus fuit a turba equestre [51^v] et alia pedestre hominum dicti loci Vangaditiae qui, recepta benedictione, recesserunt et protinus obvium habuit reverendum dominum rectorem et turbam hominum equestrem et aliam pedestrem loci de Vico, qui letabundi eorum laetitiam explosionibus, fistula, tubis et tympanis ostendentes, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem plurima cum deveneratione susceperunt et concomitati sunt. Ad parochialem ecclesiam aporinquans, ei occurrit populus processionaliter cum pueris et puellis, pias laudes decantantibus; quibus processionaliter praecedentibus ad aedes parochiales ductus fuit, in quibus suam fixit mansionem. Propterea devenerationis erga suam illustrissimam et reverendissimam dominationem absolutis officiis et recitata tertia parte sanctissimi rosarii ac litanis beatae Mariae Virginis una cum suis familiaribus, quieti se tradidit et incoenatus pernoctavit. Die lunae 16 mensis maii 1740. Hoc mane volens illustrissimus et reverendissimus dominus praesul suum solemne habere ingressum in ecclesiam parochialem [52] [a margine: VIGO] Sancti Martini de Vico, omnibus rite dispositis convocatoque populo honorifice sub baldachino a quatuor gestato scelectis viris, sanctissimi Sacramenti capa rubri coloris indutis, receptus fuit et, in egressu domus deosculata cruce sibi a reverendo domino rectore Marco Antonio Canetti pluviali induto oblata, processionaliter, populo et clero praecedente cantico *Benedictus* decantante, ad dictam ecclesiam progressus est et illam in eius limine, facta aquae benedictae aspersione receptoque a dicto reverendo rectore thurificationis honore, solemniter est ingressus. Ante altare maius paulisper oravit et interim consuetis decantatis, illud ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato, praemissa confessione, publicatam impartitus est. Porro thronum sibi a latere evangelii paratum ascendit ubi, in dalmaticis assistantibus et inservientibus admodum reverendis archipresbyteris Englarii et Portus Lemniaci, paramentis violacei coloris indutus fuit [52^v] et exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio de more absolvit. Subinde sumptis paramentis albi coloris, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide in cupa argentea intus inaurata servatum et sub clavi custoditum. Interrogatus reverendus rector dixit sub hac cura animas quae sacram communionem recipiunt habere 597, in totum vero 854 et nullam habuisse in Paschate inconfessam, quo tempore communicatis distribuere schedas, subinde illas colligere. Dixit lampadem nocte dieque accensam manutenere societatem sanctissimi Sacramenti nec non ceras pro altari et pro associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos et ad honorificam associationem extare baldachinum, umbellam, fanalia aliaque opportuna, quae ostensa fuere nec non ad illam consuetis signi convocari populum atque associantibus impartitas publicari indulgentias. [53] Dixit sanctissimum Sacramentum renovari temporibus debitis et cum eodem die festo Corporis Christi solemnem fieri processionem. Quibus habitis, paterno suo amore quampluribus utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Reposito Sacramento, ad thronum reversus est et, emissa pia praeparatione, antedictis admodum reverendis archipresbyteris assistantibus et inservientibus, sacerdotalibus paramentis indutus fuit et sacrosanctum missae sacrificium pergit. Gratiis autem Altissimo actis auditaque unius ex suis cappellanis missa, ad aedes parochiales reversus est et prandium sumpsit. Die antedicta 16 maii 1740 post prandium. Hora consueta doctrinae christianae convocato populo, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad parochialem ecclesiam doctrinam christianam visitaturus se contulit. Quare, factis prius perquisitionibus de frequentia, ordine et regimine huius tanti operis, examen [53^v] habuit pueros interrogando, puellas vero pro alia vice resservando, quos de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus instructos invenit et idem opus cum laude procedere, quod tamen, cum tanti sit momenti, plurimum in Domino omnibus comendavit. Postea quamplurimis utriusque sexus christifidelibus paterno suo amore Confirmationis sacramentum ministravit. Ad aedes parochiales reversus, quieti se dedit et incoenatus pernoctavit. Die martis 17 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ut ante honorifice

exceptus et concomitatus, ad ecclesiam parochialem venit, per consuetas ceremonias ingressam. Ante altare maius genuflexus, pia Deo preces fudit piamque pro missa praeparationem emisit. Porro volens suis gratiis prosequi venerabilem clericum Iacobum filium Dominici Bonafini, huius parochiae 16 circiter annos natum, habitum clericalem [54] gestantem, eundem debitis requisitis suffultum servatisque servandis, prima clericali tonsura insignivit, presentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum Veronae, coereemoniarum magistro et reverendo domino Iacobo Riva, sacerdote veronensi, familiari suae illustrissimae et reverendissimae dominationis testibus et cetera. Inde indutus sacerdotalibus paramentis, sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Gratias Deo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Suam pastorem visitationem proseguendo, rochetto et stola violacei coloris indutus visitavit: sacrum fontem baptismalem, in calce ecclesiae a latere evangelii erectum, rastris ligneis septum et sub clavi custoditum. Olea sancta, a cornu evangelii altaris maioris, in arcula marmorea sub ostiolo ferreo et clavi tute servata. Dicta olea recipiuntur a venerabili plebe Sancti Martini, cuius haec ecclesia est filialis. Tria confessionalia in ecclesia exposita pro excipiendis sacramentalibus poenitentium confessionibus. [54^v] Altare maius, divo Martino episcopo titulari huius parochialis ecclesiae dicatum, marmoreum cum portatili. Fuit erectum ex marmoribus anno 1717 propriis sumptibus a pietate reverendi domini Petri Nicoletti rectoris et Orlandi Bronzoli. Idem altare de omnibus manutenetur a societatibus huius ecclesiae ex propriis redditibus; onera vero missarum infra dicuntur. Altare bonae Mortis seu Suffragii pro animabus purgatorii, marmoreum in mensa cum portatili, ubi societas bonae Mortis, a qua de omnibus manutenetur et sustinet onera prout in policea; et inter coetera onera illud habetur unius missae in qualibet hebdomada pro quondam Baptista Peretto appellato Marazzo, quam celebrat reverendus dominus Ioannes Perazzoli. Altare Conceptionis beatae Mariae Virginis, marmoreum cum portatili et statua eiusdem beatae Mariae Virginis, multae devotionis, in arca ad hoc parata sub crystallis custodita. Hic extat erecta societas sub ipso nomine beatae Mariae Virginis, quae ex redditibus de omnibus manutenet altare et adimplet onera legataria, inter quae [55] illud est missarum quinque in qualibet hebdomada pro quondam Dominica Massara nuncupata Fratina et eius viro Laurentio, quas celebrat reverendus dominus Franciscus Faraoni; coeterum hoc legatum Dominicæ Fratinae in visitatione Gradonica 1716 describitur pro missa quotidiana; ideo homines capituli huius ecclesiae administratores videant et iuxta debitum adimpleatur. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, marmoreum cum portatili et icone; manutenetur a societate sanctissimi Rosarii ibi erecta, quae habet onera ut in policea et praecipue unius missae quotidianae, una dempta, in qualibet hebdomada ex legato quondam Orlandi Bronzolo, cui satisfiit reverendus dominus Prosper Luchi et missarum quinquaginta quolibet anno pro legato Meandi, quas adimplet reverendus dominus rector. Altare sancti Antonii patavini, marmoreum in mensa cum portatili, quod manutenetur ex piorum eleemosinis. Hic habetur missa quotidiana, diebus festis exceptis quoad applicationem, localitate tamen [55^v] servata etiam dictis diebus festis, ex legato quondam domini Petri Mariae Clerici, cuius officiatorum cappellanus ad praesens est reverendus dominus Petrus Brusati. Reliqua vero legata missarum et plurium anniversariorum leguntur in policea praesentata et in fine huius libri sub littera E reposita, ubi videtur capitulum maius huius ecclesiae frui annuis redditibus librarum 2140, qui impenduntur in satisfaciendis legatis oneribus et in aliis expensis ibi descriptis. Retro altare vidit chorum, scamnis nuceis ornatum et prope chorum visitavit sacristiam, a latere evangelii erectam ibique sacras suppellectiles ac vasa sacra, bene tentam et sufficienter provisam. Vidit campanile, coemeterium et totam ecclesiam, divo Martino episcopo dicatam, in qua organa et suggestum. Haec ecclesia est filialis plebis Sancti Martini Lemniaci, a qua provisionem percipit illique inservit die sabbathi sancti et eiusdem vicariae foraneae subiecta est. Quibus absolutis factisque infrascriptis ordinationibus [56] ad aedes parochiales reversus est et prandium sumpsit. Ordinata. Altare maius provideatur de cerata qua portatile cooperiatur – pars mensae lignae altaris sancti Antonii fiat marmorea – tres patenae indigentes anteriori in parte inaurantur et parte posteriori saltem dealbentur. Die antedicta 17 maii 1740 post prandium. Licet illustrissimus et reverendissimus dominus praesul statuisset pro hac die a prandio eius discessum ab hac parochiali et iter ad parochialem ecclesiam Villae Bartholomaeae, opportune praemissis monitionibus, suam hic pro hac die et die crastina mane, humilimis petitionibus reverendi domini rectoris benigne annuendo mansionem distulit; quapropter pro hac hora sibi resservato examine puellarum de doctrina christiana, honorifice comitatus in ecclesiam parochialem descendit et per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque neccessariis ad aeternam nostram salutem diligenter expertus est puellas ipsas, quas edoctas et laudabiles [56^v] invenit. Porro iterum plurimum in Domino hoc sancto opere comendato, aliquibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Subinde ad aedes parochiales reversus, personali examine incumbens, pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: reverendus dominus Marcus Antonius Canetti, sacerdos de Sancto Petro Portus 41 circiter annos natus, rector huius parochialis ecclesiae

Sancti Martini episcopi de Vigo, quam per concursum obtinuit iuxta praescriptum sacrosancti Concilii tridentini, cum bullis episcopalibus diei 23 maii 1733, ostensis, visis et restitutis. Ostendit libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum et mortuorum et status animarum nec non praesentavit policeas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri sub littera E repositas. Interrogatus de suo clero et populo et an adsint haeretici, suspecti de haeresi, usurarii et publici peccatores, respondit recte de clero et populo nullumque habere huius vitae viros aut mulieres et dimissus recessit. [57] Reverendus dominus Faustinus Pozzoboni, sacerdos ferrariensis, cum suis dimissorialibus ad arbitrium die 29 maii 1733 concessis, mandato huius curiae episcopalis munitus die 5 huius mensis maii ad annum dato pro excipiendis sacramentalibus confessionibus pro hac cura, cuius curati munere fungitur et est aetatis suae annorum quadraginta duorum circiter. Reverendus dominus Ioannes Prosper Luchi de Vico, 50 circiter annos natus, confessarius cum mandato huius curiae pro hac cura die 18 augusti 1739, ad annum confirmato. Reverendus dominus Petrus Brusati, sacerdos huius parochiae aetatis suae annorum 50 circiter, cappellanus officiatorum Clerici ad altare sancti Antonii, quae cappellania seu perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum erectum fuit a quondam Petro Maria Clerico 28 aprilis 1694, suo testamento in actis domini Ambrosii Capellari diei 26 decembris 1693. Reverendus dominus Franciscus Faraoni, sacerdos huius parochiae 265 circiter annos natus, confessarius pro maribus et [57^v] mulieribus infirmis tantum, cum mandato episcopali pro hac cura die 16 martii 1740, ad annum dato. Reverendus dominus Ioannes Perazzoli, simplex sacerdos huius parochiae aetatis suae annorum 33 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Bonagiunti, sacerdos huius parochiae aetatis suae annorum 33 circiter. Venerabilis clericus hodie clericali tonsura insignitus Iacobus filius Dominici Bonafini, huius parochiae, annorum suae aetatis 16 circiter. Qui omnes debita cum veneratione suorum ordinum testimoniales ceteraque respective eorum requisita ostenderunt, quae visa restituta fuere. Comparuerunt Dominicus Bonafini conservator et alii viri capituli sanctissimi Rosarii et reverenter exposuerunt reverendum dominum Petrum Nicoletti, rectorem huius parochialis ecclesiae, nonnulla eidem ecclesiae reliquisse legata et commissarium instituisse reverendum dominum Horatium Cazzanigo sed, cum ab annis circiter septem nondum adimplere curaverit, ideo humiliter petierunt reverendum dominum commissarium [58] Cazzanigo antedictum teneri suas adimplere partes et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit supradictum reverendum dominum Horatium Cazzanigo, commissarium praedicti reverendi rectoris Petri Nicoletti, monendum esse et docere debere de oneribus legatis ac de causa tantae morae in eisdem adimplendis, eiusdem conscientiam onerando et ita et cetera, omni et cetera. Verum a fide dignis testibus informationes sumpsit de vita et moribus reverendi rectoris ac de eius diligentia in suo munere fungendo nec non de vita et moribus sacerdotum et clericorum huius parochiae et recte de omnibus responsum fuit. Requirendo de duabus obstetricibus huius loci, reverendus rector asseruit idoneas esse et bene instructas de ministrando sacramento baptismatis in casu necessitatis. His absolutis, quieti se tradidit et incoenatus pernoctavit. Die mercurii 18 maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, solitis honoribus prosecutus, [58^v] in parochialem ecclesiam descendit et, emissa pia praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium fecit. Deinde Altissimo gratias egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Qua expleta, aliquibus Confirmationis sacramentum ministravit. Porro ad aedes parochiales se se restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 18 maii 1740 post prandium. Clausa pastoralis sua visitatione huius parochiae Vici cum recitatione *De Profundis* et cetera in ecclesia prout de more receptisque grati animi obsequiis a reverendo rectore, clero et populo, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, concomitatus a militia equestri et pedestri dicti loci Vici cum lusu vexili, tympanis et tubis suam illustrissimam et reverendissimam dominationem honorante nec non concomitatus a reverendo rectore et aliis nonnullis eiusdem loci Vici, eum reliquit et ad parochialem ecclesiam Villae Bartholomaeae iter arripuit. Iter proseguendo, licet pluvie caelo, ad confinia perventus, recedente rusticana militia Vici, praesto fuit militia [59] rusticana equestris et pedestris Villae Bartholomaeae, clangentibus tubis nec non illius admodum reverendum archipresbyterum, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem cum gaudio ac plurima deveneratione suscipientes. Subinde parochiali appropinquans obviam habuit doctrinam christianam ac populum processionaliter accurrentem et pias laudes decantantem. Hoc modo honoratus, ductus fuit ad aedes domini Ioannis Baptistae Franceschetti ac eius fratris reverendi domini Antonii archipresbyteri, cum domus parochialis sit diruta et inhabitabilis, in quibus obsequio et honore receptus, suam fixit mansionem. Porro absolutis consuetis humanitatis officiis, tertiam partem sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis una cum sua familia recitavit et incoenatus pernoctavit.

[A margine: VILLA BARTOLOMEA] Die iovis 19 mensis maii 1740. Hac mane statuta pro solemnibus ingressu in dictam parochialem ecclesiam, multo populo huc convolato, omnibus rite dispositis,

illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, sub baldachino a quatuor scelectis viris gestato honorifica pompa susceptus, deosculata cruce in egressu domus [59] suae mansionis a reverendo archipresbytero pluviali induto oblata, processionaliter decantato cantico *Benedictus* et cetera, ecclesiam ipsam adivit. Ad eiusdem ianuam maiorem perventus, aspergillo recepto a dicto reverendo archipresbytero, a quo et thurificationis honorem recepit, populum genuflexum aqua benedicta aspersit et solemniter praefatam ecclesiam parochialem Villae Bartholomaeae est ingressus, organis, tubis et campanis sonantibus. Ante altare maius pias preces fudit illudque ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato, praemissa confessione, impartitus est. Ad thronum, a cornu evangelii sibi paratum, venit ubi, in dalmaticis assistantibus et inservientibus admodum reverendis parochis Terratii et Nichesolae, paramentis violacei coloris indutus fuit et in ecclesia ac in coemeterio pro defunctis exequias de more obtulit. Sumptis vero paramentis albi coloris, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit [60] sanctissimum Euchaeistiae sacramentum, in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus inaurata sub clavi bene tentum, quod debitis temporibus renovatur. Animae sub hac cura quae sacram communionem suscipiunt numerantur 700 circiter, in totum vero 1145, quarum nulla fuit in Paschate inconfessa. Lampas ante sanctissimum Sacramentum nocte dieque manutenetur accensa, sumptibus societatis eiusdem sanctissimi Sacramenti, quae etiam providet de cereis. Ex factis perquisitionibus cognovit: sanctissimum Sacramentum deferri ad infirmos honorifica associatione et propterea extare quinque fanalia, velum humerale, thronum, umbellam, baldachinum aliaque opportuna, quae vidit et associantibus impartitas indulgentias publicari populumque per consueta signa convocari; cum eodem sanctissimo Sacramento solemnem fieri processionem die festo Corporis Christi; demum communicatis in Paschate distribui schedas et subinde colligi. Postea multo utriusque sexus populo propriis [60] manibus sacrosanctum Eucharistiae sacramentum ministravit. Sacramento reposito, in throno piam pro missa praeparationem emisit. Sacerdotalibus vero paramentis indutus, sacrosanctum missae sacrificium fecit. Gratias Altissimo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Quibus absolutis, ad aedes suae mansionis reversus est et prandium sumpsit. Die antedicta 19 maii 1740 post prandium. Consuetis signis et hora solita doctrinae christianae illustrissimus et reverendissimus praesul, volens de eadem quoad pueros visitationem habere, ut ante honoratus et concomitatus, ad ecclesiam parochialem venit, quam per caeremonias de more servatas ingressus est et ante altare maius fuis precibus, in primis diligenter perquisivit de ordine, cultu et frequentia huius sancti operis; deinde pueros per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem comparandam [61] necessariis expertus est, quos sufficienter institutos invenit. Cum vero tanti momenti sit hoc pium opus, illius cultum et frequentiam magis magisque in Domino omnibus comendavit. Postea affluentem utriusque sexus populo, multo cum labore sed pari amore, Confirmationis sacramentum ministravit. Reversus ad praefatas suae mansionis aedes, quieti indulsit et, recitata tertia parte sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis una cum sua familia, incoenatus pernoctavit. Die veneris 20 maii 1740. Consueto honore concomitatus, illustrissimus et reverendissimus antistes ad dictam ecclesiam parochialem Villae Bartholomaeae accessit et, per solitas caeremonias eam ingressus, ante altare maius genuflexus praeparationem absolvit pro celebranda missa, quam celebravit tubis, organis et frequentibus explosionibus honoratus; gratias Altissimo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. [61] Porro suae visitationi incumbens, rochetto et stola violacea indutus, visitavit: sacrum fontem baptismatis, in calce ecclesiae prope portam maiorem a latere epistolae erectum et rastris ligneis septum, non tamen tute nec debita cura tentum. Olea sancta, in arcula lignea a cornu evangelii sub sera et clavi custodita; singulis annis a cathedrali Veronae percipiuntur et vetera comburuntur. Confessionalia in ecclesia exposita pro sacramentalibus fidelium confessionibus excipiendis. Altare maius, ex marmoribus constructum cum portatili, divo Bartholomaeo apostolo, ecclesiae titulari, dicatum cum icone in choro existente. Manutenetur de omnibus a societate sanctissimi Sacramenti ibi erecta, quae habet annuos redditus librarum 514.14 et onera ut in policea in fine huius libri sub littera F reposita, scilicet missarum 16 et officiorum missarum 7 pro quondam Ioanne Fraccarolo; missarum 12 pro quondam Dominico Zanferari, missarum 6 pro quondam Dominico Bellini et [62] missarum 6 pro quondam Maria Zanferari. Altare praedictum est privilegiatum pro confratribus dictae societatis qualibet sexta feria et per octavam defunctorum, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 31 martii 1738; visitantes autem hanc ecclesiam et hoc altare die festo sancti Bartholomaei fruuntur indulgentia plenaria, prout ex brevi apostolico diei 31 martii 1738, ad septennium concessa. Altare Spiritus Sancti ligneum cum portatili, manutentum a societate praedicta sanctissimi Sacramenti, in quo celebratur ex devotione. Altare beatae Mariae Virginis a monte Carmelo, ex ligno auro linito elaboratum cum portatili et statua eiusdem beatae Mariae Virginis, sub crystallis servata; manutenetur a societate sub titulo praedictae beatae Mariae Virginis ibi erecta et fruitur annuis redditibus librarum 588.5, cum oneribus prout in policea in

fine huius libri sub littera **F** posita, scilicet manutenendi cappellanum stipe librarum 360, [62^v] qui modo est reverendus dominus Andreas Brighenti; officiorum pro variis legatariis 11 cum erogatione unius modii tritici; insuper missarum legatarum 85 prout in dicta policea, cui et cetera. Hoc altare est privilegiatum pro confratribus qualibet feria quarta et per octavam omnium defunctorum, ex brevi apostolico diei 31 martii 1738, ad septennium concessum. Altare beatae Mariae Virginis a sanctissimo Rosario, marmoreum cum portatili et icone ac statua dictae beatae Mariae Virginis, sub crystallis custodita, de ratione societatis eiusdem beatae Mariae Virginis ibi erectae, quae habet annuos redditus librarum 458 et onera missarum 110 et officiorum pro variis legatariis, ut in policea exhibita et in fine huius libri reposita sub littera **F**. Ad idem altare extat perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, cuius rector est reverendus dominus Dominicus Pegorari, cum bullis episcopalibus 1698 et cum resservatione iurispatronatus ac onere missarum duodecim quolibet anno. Porro hoc altare est privilegiatum [63] pro confratribus dictae societatis, cum brevi apostolico 31 martii 1738, ad septennium concesso pro qualibet secunda feria et per totam octavam Commemorationis omnium defunctorum. Altare sancti Rochi seu sancti Antonii patavini, ex ligno auro linito compactum cum portatili, de ratione communitatis, a qua de omnibus manutenetur. Ibi celebratur diebus festis et bis in hebdomada per reverendum dominum Bartholomaeum Padoanelli. Societas sancti Antonii hic existens fruitur annuo redditu librarum 83.12, cum onere unius officii missarum octo pro quondam domino Francisco Ferante et alterius officii missarum decem pro quondam Antonio Ferante ac aliarum missarum, ut in policea sub littera **F** reposita. Altare sancti Laurentii, marmoreum in mensa in reliquis ligneum cum portatili, de ratione nobilium dominorum comitum de Sancto Bonifacio iurisdicentium, a quibus manutenetur. Hic celebratur diebus festis per reverendum dominum Marcum Viero, sacerdotem de Bregantiis patavinae diaecesis, cappellanum [63^v] nobilium dominorum comitum Herculis et fratrum de Sancto Bonifacio Patavii. Vidit ad hoc altare aliquas sacras reliquias, in quadam arcula antiquitus repositas et sub duabus clavibus servatas ac in capsula ferrea signata 1592 custoditas, nullis tamen sigillis munitas, quas reliquit in sua veneratione. Visitavit chorum retro altare maius et sacristiam a latere evangelii existens ac ibi sacras suppellectiles ac vasa sacra, sufficienter provisam. Vidit campanile, coemeterium ac totam ecclesiam, non consecratam, divo Bartholomaeo apostolo dicatam, de iurepatronatus nobilium dominorum comitum de Sancto Bonifacio, Buri et Lazise, in qua vidit suggestum et organa. Vidit domum parochialem colabentem et undequaque indigentem reparatione et, cum sit inhabitabilis, reverendus dominus archipresbyter inhabitat in domo suae familiae. Quibus absolutis factisque ordinationibus infrascriptis, ad aedes suae mansionis reversus est et prandium sumpsit. [64] *Ordinata*. Ianua tabernaculi intus vel pingatur vel panno serico albo vestiatur – provideatur statua Domini nostri Iesu Christi resurgentis, tempore paschali ad altare maius erigenda – litterae *Olea Infirmorum* quae leguntur in arcula contra illam in qua servantur olea sancta deleantur – crates ad confessionalia fiant ex lamina ferrea cum foraminibus spissis et confessionalia ipsa a parte poenitentium muniatur aliqua pia imagine – confessionale vero sub suggestu vel illinc removeatur et in loco opportuno collocetur vel ad commodiorem usum reducatur – rastra fontis baptismalis muniantur sera et clavi, eius sacrarium lapide cooperiatur et sacer fons, omni deveneratione dignus, decentiori cura custodiatur – patena quae indiget anteriori in parte inaretur [64^v] et in parte posteriori saltem dealbetur – domus parochialis, plurima reparatione indigens et modo inhabitabilis, tuta et laudabili forma reparetur et habitabilis reddatur – ordinata ultimae visitationis nondum adimpleta diligenter adimpleantur. Die antedicta 20 maii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul, sua quadriga vectus, honorifico comitatu ad parochialem ecclesiam iter fecit, doctrinae christianae puellarum, consuetis signis convocatarum, examen habiturus. Itaque ingressa de more ecclesia fuisque Deo optimo maximo precibus, puellas ipsas per plures interrogationes de misteriis fidei caeterisque necessariis ad aeternam nostram salutem paterno amore expertus est, quas sufficienter edoctas invenit. Porro omnes ad enixe in tam benemerito opere laborandum iterum in Domino hortatus est. Subinde nonnullis utriusque sexus christifidelibus [65] Confirmationis sacramentum ministravit. Ad aedes suae mansionis reversus, negotiis suae visitationis incumbens, pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: admodum reverendus dominus Antonius Franceschetti, sacerdos veronensis 62 circiter annos natus, rector huius parochialis ecclesiae Sancti Bartholomaei Villae Bartholomaeae, cum bullis episcopalibus die 20 iulii 1729 uti electus et praesentatus a nobilibus dominis comitibus de Sancto Bonifacio, Buri et Lazise, condominis iurepatronatu gaudentibus, quas bullas ostendit una cum libris parochialibus baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum et status animarum, bene tentis. Insuper praesentavit polliceas iuxta aedictum visitationis, in fine huius libri sub littera **F** repositas. Interrogatus de suo clero et populo et an in sua parochia adsint haeretici vel de haeresi suspecti, usurarii et publici peccatores, respondit recte tam de clero quam de populo et neminem – quod sciat – praedictorum in sua parochia [65^v] habere fassus est et dimissus recessit. Reverendus dominus Andreas Brighenti, sacerdos

de Portu aetatis suae annorum 56, cappellanus seu rector cappellaniae beatae Mariae Virginis Mazzagatae infra limites Sancti Laurentii Hostiliae, cum bullis diei 22 februarii 1713, curatus huius parochialis cum mandato ad confessiones die 10 maii 1740, ad annum confirmato. Reverendus dominus Bartholomaeus Padoanelli, sacerdos confessarius huius parochiae, cum mandato ad annum confirmato die 24 iulii 1739; agit modo aetatis suae annum vigesimum nonum. Reverendus Marcus Viero, sacerdos de Bregantiis patavinae diaecesis, cum suis dimissorialibus ad sex menses concessis die 24 novembris 1739 et cum mandato episcopali pro celebratione missae usque ad terminum suarum dimissorialium, dato die 2 decembris 1739; modo est aetatis suae annorum 42 circiter. Qui omnes, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes, eorum respective mandata et requisita [66] ostenderunt et iisdem, visa, restituta fuere. Comparuerunt Margarita vidua quondam Antonii Saccomani, 63 annos nata et Margarita vidua quondam Pauli Segati, aetatis suae annorum 50 obstetrices, quae per examen habitum idoneae repertae fuerunt et instructae de sacramento baptismi conferendo in casu neecessitatis. Comparuerunt Antonius Montagnin massarius societatis sanctissimi Sacramenti, Ferrans Ferranti massarius societatis beatae Mariae Virginis a monte Carmelo, Antonius Valentini massarius societatis sanctissimi Rosarii et Dominicus Pallaro massarius societatis sancti Antonii, qui cum debita veneratione redditus et onera earundem societatum ostenderunt et policeas dederunt, repositas ut ante in fine huius libri sub littera F. Demum a fide dignis diligentes informationes sumpsit de vita, moribus et diligentia in suo munere praestando reverendi rectoris nec non de vita et moribus sacerdotum et clericorum [66^v] huius parochiae et bona habuit tam de rectore quam de clero. Quibus absolutis, cum sua familia recitavit de more tertiam partem sanctissimi rosarii et litanias beatae Mariae Virginis et incoenatus pernoctavit. Die sabbathi 21 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus visitationem parochialis ecclesiae Assumptionis beatae Mariae Virginis de Spinimbecco, filialis huius parochialis ecclesiae Villae Bartholomaeae, demandavit hac die habendam suo illustrissimo domino vicario generali; ipse vero illustrissimus et reverendissimus praesul, consuetis honoribus prosecutus et concomitatus, ad parochialem ecclesiam Villae Bartholomaeae perexit ubi, facta pia praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium absolvit et subinde, actis Deo optimo maximo debitis gratiis, unius ex suis cappellanis missam audivit. Subinde ad aedes suae mansionis se se restituit et quieti se dedit. Porro illustrissimus dominus vicarius generalis, demandatas sibi partes exequendo, ad parochialem ecclesiam antedictam [67] de Spinimbecco illam visitaturus se contulit. Quo perventus, humanissime et reverenter fuit receptus a reverendo domino Antonio Clericati, rectore eiusdem ecclesiae et in aedes parochiales ductus, paulisper quievit et talari veste se se induit.

[A margine: SPINIMBECCO] Deinde ingressus est ecclesiam praefatam Sanctae Mariae de Spinimbecco. Ante altare maius genuflexus, pias preces Altissimo fudit. Indutus vero pluviali nigri coloris, exequias pro defunctis in coemeterio de more absolvit. Postea cum debita adoratione visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea sub clavi bene et tute custoditum, quod debitis temporibus renovari asseruit reverendus rector et cum eodem, festo die Corporis Christi, solemnem fieri processionem. Animae sub hac cura quae sacram communionem sumunt numerantur 259, in totum vero 380, quarum nulla fuit inconfessa in Paschate, [67^v] quo tempore communicatis distribuuntur schedae, subinde colliguntur. Lampas nocte dieque accensa ante sanctissimum Sacramentum manutinetur a societate sanctissimi Rosarii ex redditibus valoris annui librarum 500 circiter, una cum aliis oneribus. Alias lampas fuit dotata a pietate quondam nobilis domini comitis Antonii de Sancto Bonifatio. Quando contingit sanctissimum Sacramentum ad infirmos defferri, testatus est reverendus rector populum per consueta signa convocari; associantibus indulgentias impartitas a summis pontificibus publicari et honorifice associari; propterea extant quinque fanalia, baldachinum, umbellam, amigdalam aliaque ad id opportuna, quae ostensa fuere et vidit. Postea nonnullis utriusque sexus sacram communionem poscentibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum propriis manibus ministravit. In sacristiam se se recepit, piam praeparationem emisit et, sacerdotalibus indutus, sacrosanctum [68] missae sacrificium peregit; quo absoluto, debitas Altissimo persolvit grates. Iam vero convocato per consueta signa populo, examini doctrinae christianae vacavit; quapropter, facta perquisitione de cultu, frequentia et ordine huius sancti operis, per varias interrogationes de misteriis fidei deque aliis ad aeternam salutem pertinentibus pueros et puellas expertus est, quos bene instructos et comendabiles invenit. Visitationem proseguendo, visitavit oleum infirmorum, in quadam arcula lignea a latere evangelii altaris maioris in vase stamneo sub clavi custoditum, quod sumitur a parochiali Villae Bartholomaeae in qua custodiuntur reliqua olea sancta et sacer fons baptismi. In alia arcula a latere epistolae in quodam vase vitreo rotundo vidit nonnullas sacras reliquias, sine tamen documentis, quas in sua antiqua veneratione reliquit. Visitavit unicum confessionale pro excipiendis [68^v] sacramentalibus poenitentibus confessionibus. Visitavit altare maius, marmoreum cum portatili, Assumptioni beatae Mariae

Virginis dicatum, titulari eiusdem parochialis Spinimbecchi, ubi in arca marmorea sub crystallis custodita servatur imago ex ligno sculpta eiusdem beatae Mariae Virginis, multae apud populum devotionis; manutenetur a societate beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, quae habet redditus – ut dixit – librarum 500 circiter, cum onere missarum 112 ad dictum altare ex variis legatis, ut in pollicea in fine huius libri sum littera **G** reposita, quas adimplet reverendus rector huius parochialis. Altare sancti Petri, ligneum cum portatili, de ratione communitalis, manutentum tamen a praedicta societate, in quo celebratur ex devotione, nullo – ut assertum fuit – extante legato. Altare sancti Francisci, ligneum cum portatili, a praedicta societate manutentum, in quo tria legata missarum extant, scilicet missarum 12 pro quondam reverendo domino Petro Ferrari, missarum 24 pro quondam nobili domino comite Alexandro de Sancto Bonifacio et missarum sex [69] pro quondam Beccaletti, quibus satisfacit idem reverendus rector, prout in pollicea ut supra reposita sub littera **G**. Altare sancti Rocchi, pariter ligneum cum portatili et ut supra manutentum a praedicta societate, in quo celebratur ex devotione, cum nullum sit onus missarum. Altare sancti Bonifacii cum portatili, ab ipsamet societate manutentum, in quo celebratur ex devotione, cum nulla habeantur legata missarum. Visitavit sacristiam, a latere evangelii prope altare maius erectam et in ea sacras suppellectiles ac vasa sacra, de quibus plus quam sufficienter provisam et bene tentam esse cognovit. Vidit coemeterium et totam ecclesiam, quae est dicata Assumptioni beatae Mariae Virginis, non consecrata et est filialis parochialis ecclesiae Villae Bartholomaeae, de iure vero patronatus elligendi et praesentandi rectorem nobilium dominorum comitum de Sancto Bonifacio et subest vicariae foraneae de Carpio. Subinde in aedes parochiales se recepit, coram quo [69] comparuerunt: admodum reverendus dominus Antonius Chiericati, sacerdos de Villa Bartholomaea aetatis suae annorum circiter 72, rector huius parochialis ecclesiae de Spinimbecco, cum bullis nunciaturae apostolicae Venetiarum diei 26 iulii 1702 et mandato executivo huius curiae episcopalis et ostendit libros parochiales, scilicet matrimoniorum et mortuorum, non vero baptizatorum cum eius ecclesia careat baptismali fonte et eius parochiani regenerandi deferuntur ad fontem Villae Bartholomaeae. Insuper praesentavit polliceas iuxta aedictum visitationis, in fine huius libri sub littera **G** repositas. Interrogatus vero de suo clero et populo, recte de utroque respondit. Reverendus dominus Felix Prando, sacerdos de Baruchella iurisdictionis Vangaditiae nullius diaecesis, cum suis dimissorialibus ad beneplacitum die 11 aprilis 1716 datis et mandato huius curiae episcopalis ad missas; agit modo aetatis suae annum 67 circiter. Reverendus dominus Matthaeus Sbardellini, simplex sacerdos huius [70] parochiae, aetatis suae annorum triginta septem. Qui reverenter ostenderunt eorum mandata et requisita, quae visa eisdem restituta fuere. Comparuerunt Ioannes Prando et Andreas Riccobelli consilarii societatis sanctissimi Rosarii et ostenderunt computa eiusdem societatis ac bullam erectionis vel aggregationis, datam Romae in conventu Sanctae Mariae supra Minervam die 12 februarii 1733 nec non breve apostolicum indulgentiae plenariae omnibus visitaturis hanc ecclesiam Beatae Mariae Virginis de Spinimbecco impartitae, ad septennium die 23 novembris 1738 concessum. Porro diligentes informationes sumpsit a fide dignis de vita, moribus et diligentia reverendi rectoris nec non de vita et moribus aliorum sacerdotum et de omnibus recte relatum fuit. Quibus absolutis factisque ordinationibus infrascriptis, ad mansionem illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi reversus est. Ordinata. Tabernaculum et eiusdem ianua vestiantur intus [70] panno serico albo – panno similiter sericeo albi coloris intus vestiatur custodia in qua hebdomada maiori servatur sanctissimum Sacramentum – fenestellae confessionalis a parte confessoris muniantur suis ianuis – duae patenae indigentes anteriori in parte inaurentur et in parte posteriori saltem dealbentur – in sacristia comparetur fons cum suis manutergiis pro abluendis manibus sacerdotum celebrantium. Die antedicta 21 maii 1740 post prandium. Licet caelum plueret, cum hac die eius iter statuisset ad parochialem ecclesiam Sanctae Margaritae de Carpio, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in parochialem ecclesiam Villae Bartholomaeae descendit et sacram pastorem visitationem cum recitatione *De Profundis* de more absolvit. Deveneratus inde a reverendo domino rectore, clero et populo Villae Bartholomaeae cum gratiarum actione pro collato beneficio comitatusque ab hominum [71] turba equestri et pedestri nec non a praedicto reverendo rectore ac reverendo rectore de Carpio, qui obsequii gratia erga suam illustrissimam et reverendissimam dominationem huc accessit, ad dictam parochialem de Carpio iter direxit. Ad confinia iterum suo devenerato praesule, homines Villae Bartholomaeae recesserunt et occurrerunt armata pedestris turba et alia equestris hominum de Carpio, qui letabundi suam illustrissimam et reverendissimam dominationem susceperunt et ad domum parochialem clangentibus tubis perduxerunt, populo hac illac genuflexo, cui benedixit. In iisdem aedibus parochialibus suam statuit mansionem et, persolutis humanitatis officiis, cum sua familia tertiam partem sanctissimi rosarii ac litanias beatae Mariae Virginis recitavit et incoenatus pernoctavit.

[A margine: CARPI] Die dominico 22 mensis maii 1740. Hac mane solemnem suum habiturus ingressum in ecclesiam parochialem Sanctae Margaritae de Carpio, illustrissimus et reverendissimus praesul, honorifice

baldachino a quatuor scelectis viris rubra cappa [71^v] indutis gestato receptus, deosculata cruce in egressu domus a reverendo archipresbytero oblata, processionaliter ecclesiam ipsam adivit, quam solemniter, facta prius in eiusdem limine aquae benedictae aspersione et thurificationis honore recepto, obstrepentibus tubis, organis et campanis, ingressus est. Ante altare maius genuflexus, pias preces fudit et, interim consuetis decantatis, illud ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato, confessione praemissa, publicatam impartitus est. Ad thronum sibi a latere evangelii paratum venit ibique, duobus in dalmaticis assistantibus et inservientibus sacerdotibus, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio absolvit. Sumptis postea paramentis albi coloris, cum debita adoratione, hymno decantato et thurificatione praemissa, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare [72^v] maius, in tabernaculo ligneo coloribus depicto auroque linito et in pixide argentea sub clavi custoditum, quod renovari debitis temporibus et cum eodem solemnem haberi processionem in festo Corporis Christi, idem archipresbyter asseruit. Animae sub hac cura quae sacram communionem suscipiunt numerantur 425, in totum vero 798, quarum nulla fuit inconfessa in Pascate. Lampas nocte dieque accensa manuteneatur a societate sanctissimi Sacramenti, quae manuteneat etiam cereos ex redditibus et eleemosynis. Pro honorifica delatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos vidit quatuor fanalia, baldachinum, umbellam, amigdalam aliaque ad id opportuna; ad quod pium opus convocatur opportune populus per consueta signa et impartitas associantibus sanctissimum Sacramentum indulgentias publicari assertum fuit. Postea quampluribus utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum propriis [72^v] manibus ministravit. Reposito autem sanctissimo Sacramento, piam emisit praeparationem et sacrosanctum missae sacrificium peregit. Iterum nonnullis eucharisticum Panem ministravit. Actis vero Deo optimo maximo debitis gratiis, unius ex suis cappellanis missam audivit et ad aedes parochiales se se restituit ac prandium sumpsit. Die antedicta 22 maii 1740 post prandium. Convocato populo hora solita doctrinae christianae, illustrissimus et reverendissimus praesul, honorifice ut ante comitatus, se contulit ad antedictam parochialem ecclesiam Sanctae Margaritae de Carpio et, fuis prius Altissimo precibus, diligenter perquisivit quae cum diligentia habeatur, qui cultus sit et quinam ordo servetur in exercitio tam pii et tam proficui operis doctrinae christianae. Deinde pueros et puellas per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque ad aeternam nostram salutem pertinentibus expertus est, quos bene edoctos et hoc sanctum opus comendabiliter coli cognovit. [73^v] Nihilomonus omnes plurimum in Domino hortatus est ut magis magisque in tanto opere ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem solliciti semper sint. Multo subinde utriusque sexus postulanti populo paterno suo amore Confirmationis sacramentum ministravit, cui, peracta sacra actione, benedixit adque parochiales aedes reversus est ubi, recitata cum sua familia tertia parte sanctissimi rosarii cum litiis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die lunae 23 mensis maii 1740. Suam pastorem visitationem prosecuturus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, de more honoratus, in ecclesiam parochialem antedictam descendit, quam per solitas caeremonias ingressus est. Praemissa pia praeparatione pro celebratione missae, sacerdotalibus indutus sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Quo peracto, in reddendis Altissimo debitis gratiis se detinuit et unius ex suis cappellanis missam audivit. [73^v] Thronum ascendit et, servatis servandis, iuxta pontificale romanum prima clericali tonsura insignivit Dominicum Sylvestrum Rumiati, filium quondam Antonii, huius parochiae de Carpio ortum die 31 decembris 1724, habitum clericalem gestantem, praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanino, archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum Veronae et caeremoniarum magistro ac reverendo domino Iacobo Riva, familiari suae illustrissimae et reverendissimae dominationis testibus et cetera. Aliquibus vero utriusque sexus fidelibus humiliter poscentibus Confirmationis sacramentum ministravit. Suae inde visitationi incumbens, visitavit: olea sancta, in arcula lapidea a cornu evangelii altaris maioris et vasis argenteis et aliis stamneis sub sera et clavi bene custodita; quotannis de novo percipiuntur a cathedrali Veronae, veteribus combustis. Sacrum fontem baptismalem, in quadam cappellula in calce ecclesiae a latere evangelii erectum, [74^v] sub rastris ligneis et clavi servatum. Duo confessionalia pro sacramentalibus christifidelium confessionibus excipiendis. Altare maius, ligneum cum portatili, divae Margaritae ecclesiae titulari dicatum, manutentum a societate sanctissimi Sacramenti ibi erecta, quae fruitur annuis redditibus librarum 80 circiter, ultra eleemosynas fidelium et sustinet sua onera ac celebrare facit unam missam qualibet tertia dominica cuiuslibet mensis. Altare sancti Antonii patavini cum portatili, de ratione communitatis, a qua et piorum eleemosynis de omnibus manuteneatur. Altare seu capellam beatae Mariae Virginis a Cinctura, marmoreum cum portatili et cum statua dictae beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta, in arcula sub crystallis ibi servata. Manuteneatur a societate eiusdem beatae Mariae Virginis ibidem erecta, quae habet annuos redditus librarum 130 circiter, ultra fidelium eleemosynas et celebrare facit qualibet quarta dominica cuiuslibet [74^v] mensis unam missam et duas cantatas diebus festis

sanctae Monicae et sancti Augustini per reverendum archipresbyterum ac sustinet eius onera. Hoc altare est privilegiatum pro confratribus et sororibus dictae societatis qualibet feria quarta uniuscuiusque hebdomadae ac die et in octava Commemorationis omnium defunctorum, prout ex brevi apostolico die 30 aprilis 1734, ad septennium concessio. Altare Animarum purgatorii, ligneum cum portatili; ex inscriptione quae in icone legitur dignoscitur piorum ope anno 1659 constructum et piorum eleemosynis manutinetur; coeterum ex legatis extant redditus annui librarum 116.7, cum onere unius officii missarum decem pro quondam reverendo domino Benedicto Christofaletti, qui redditus – una cum eleemosynis fidelium perceptis, quae omnia una simul forsan implent summam librarum 590 – impenduntur in tot officiis et missis privatis, prout patet ex policea exhibita et in fine huius libri sub littera **H** reposita. [75] Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, alias sancti Ioseph, cum portatili, manutentum piorum eleemosynis, in quo celebratur ex devotione. Visitavit sacristiam, a latere evangelii altaris maioris existentem et ibi sacras suppellectiles et vasa sacra, quam sufficienter provisam invenit. Vidit coemeterium ecclesiae adnexum et totam ecclesiam et in ea organa et suggestum, in quo tempore Quadragesimae habetur concio per concionatorem missum ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo Veronae. Quibus absolutis, ordinavit ut infra et ad aedes parochiales reversus prandium sumpsit. Ordinata. Providetur fanale maius principale, quod in associando sanctissimo Sacramento ad infirmos praecedat – tempore pascali communicatis distribuantur schedae, subinde colligantur – altare Animarum purgatorii provideatur de novo portatili ad mensuram canonicam – unum ex confessionalibus muniatur parte confessarii [75^v] suis ianuis vulgo *portelle* – in sacristia construatur labrum seu fons cum suis manutergiis pro abluendis manibus sacerdotum celebrantium – patena prout indiget inaretur. Die antedicta 23 maii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, personali visitationi vacans, pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: admodum reverendus dominus Ioannes Zanardi, sacerdos de Carpio et eiusdem parochialis Sanctae Margaritae modernus archipresbyter, aetatis suae annorum 29 circiter, quam obtinuit per concursum iuxta formam Concilii tridentini et ostendit bullas episcopales diei 12 martii 1735 nec non libros parochiales baptismatorum, matrimoniorum et mortuorum ac status animarum, bene tentos. Insuper praesentavit policeas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri sub littera **H** repositas. Subest cum sua ecclesia, sacerdotibus et clericis, vicariae foraneae Castanearii. Interrogatus de suo clero et populo, de utroque recte respondit et dimissus recessit. [76] Reverendus dominus Franciscus Mantuani, sacerdos aetatis suae annorum 52, de Raxia iurisdictionis vangaditiensis cum suis dimissorialibus ad beneplacitum concessis die 28 iunii 1719 et cum mandato huius curiae episcopalis pro excipiendis sacramentalibus pro hac cura die 9 novembris 1739 ad annum confirmato. Reverendus dominus Ioannes Mantuani, sacerdos aetatis suae annorum 32 circiter de Raxia praedicta cum suis dimissorialibus ad beneplacitum datis die 17 octobris 1731 et cum mandato huius curiae ad confessiones pro hac cura die 9 novembris 1739, ad annum confirmato. Reverendus dominus Hieronymus Vesentini, sacerdos huius parochiae aetatis suae annorum 27 circiter. Venerabilis clericus subdiaconus promotus die 19 septembris 1739. Ioannes Maria Arcandi huius parochiae, aetatis suae annorum 23 circiter. Venerabilis clericus hodie clericali tonsura insignitus Dominicus Sylvester Rumiati quondam Antonii huius parochiae, aetatis suae annorum 16 circiter. [76^v] Comparuerunt Lucretia vidua quondam Antonii Pegoraro, aetatis suae annorum 58 et Catharina uxor Bartholomaei Tavellini, aetatis suae annorum 52 circiter, obstetrices huius parochiae, quae examinae idoneae fuerunt repertae et bene edoctae de sacramento baptismatis ministrando in casu necessitatis. Alia extat obstetrix, scilicet Angela vidua quondam Amadei Brognara, sed modo iacet infirma, de qua temen bene retulit reverendus archipresbyter et idoneam ac bene instructam illam asseruit. Comparuerunt Ioannes Vesentini massarius et Paulus Campion capserius societatis sanctissimi Sacramenti, qui obtulerunt diploma datum Romae in congregatione sanctissimi Corporis Christi die 10 aprilis 1608 circiter indictione sexta et rationem dederunt de eiusdem introitibus et expensis. Ioseph Mazzolini, massarius societatis beatae Mariae Virginis a Cinctura et ostendit diploma datum Bononiae die 23 septembris 1678, quo agregatur eadem societas archiconfraternitati sancti Iacobi nec non ostendit computa eiusdem. [77] Antonius Zanetti capserius et Dominicus Donella massarius altaris Animarum purgatorii; Augustinus Rumiato, massarius altaris sanctissimi Rosarii; Simon Zerbinato, massarius seu capserius altaris sancti Antonii, qui de eorum respective administratione rationem dederunt. Demum a fide dignis testibus diligentes informationes sumpsit de vita et moribus ac eius diligentia in suo munere prestando admodum reverendi archipresbyteri nec non de vita et moribus coeterorum sacerdotum et clericorum et de omnibus bona habuit. Subinde idem illustrissimus et reverendissimus praesul se contulit ad visitationem oratorii infrascripti et visitavit: [a margine: Santissimo Rosario] publicum oratorium sub invocatione Beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, paucis ab hinc annis, anno scilicet 1722 circiter, erectum infra limites parochialis ecclesiae Sanctae Margaritae de Carpio, de ratione nobilis et excellentissimi

virī Leonardi Mocenico procuratoris patritii veneti, a cuius pietate de omnibus decore manuteneretur. Unicum extat altare cum portatili et icone, [77^v] stuchis elaboratum, perpolite tentum, in quo celebratur ex devotione, praecipue tempore quo ruri deget praefatus nobilis et excellentissimus dominus Leonardus Mocenico. A latere epistolae visitavit sacristiam, bene constructam, non vero sacras suppellectiles, cum domi sint servatae, de quibus tamen relatum fuit optime esse provisum. Quibus habitis, ad aedes parochiales reversus est et, recitata de more tertia parte sanctissimi rosarii et litanis beatae Mariae Virginis cum sua familia, incenatus pernoctavit. Die martis 24 mensis maii 1740. Absoluta sua pastoralī visitatione parochialis ecclesiae Sanctae Margaritae de Carpio, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus hac mane in eadem ecclesiam descendit suamque visitationem de more cum recitatione *De Profundis* clausit. Porro, receptis a clero et populo dicti loci de Carpio multa cum deveneratione gratiarum actionibus, cum iter suum statuerit ad parochialem ecclesiam Sancti Nicolai de Castaneario, Carpio relicto illuc iter suum direxit, [78] honorifice concomitatus a reverendis archipresbyteris Carpii et Castanearii aliisque sacerdotibus nec non a turba hominum armatorum pedestri et alia equestri de Carpio, quae turbae ad confinia suam illustrissimam et reverendissimam dominationem plurima explosione salutantes recesserunt. Illustrissimo presto fuerunt turbae duae hominum Castanearii, una equestris et altera pedestris, cum tubis et tympanis suam illustrissimam et reverendissimam dominationem laeti suscipientes. Subinde processionaliter obvium habuit populum, pias laudes decantantem; a quibus omnibus cum deveneratione ad parochiales aedes ductus fuit, in quibus suam statuit mansionem et parumper quievit ac praestita obsequia archipresbyteri, cleri aliorumque recepit.

[A margine: CASTAGNARO] Omnibus vero recte dispositis, volens suum in parochialem habere ingressum, sub baldachino honorifice receptus, a quatuor confratribus societatis sanctissimi Sacramenti cappis rubri coloris indutis gestato et deosculata cruce a reverendo archipresbytero sibi oblata in egressu domus, populo et clero processionaliter procedente, [78^v] dictam ecclesiam parochialem Sancti Nicolai Castanearii adivit, quam, facta prius in eius limine aquae benedictae aspersione super populum receptoque ab ipso archipresbytero thurificationis honore, solemniter ingressus est. Ante altare maius genuflexus, pias preces fudit et interim consueta decantata fuere. Postmodum altare ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, confessione praemissa, omnibus adstantibus impartitus est. Ad thronum sibi paratum a latere evangelii venit, ubi indutus fuit pontificalibus violacei coloris et de more exequias pro defunctis absolvit in ecclesia et coemeterio, duas in partes a lateribus ecclesiae distributo. Sumptis postea paramentis albi coloris, debita adhibita adoratione cum hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et in pixide argentea in cuppa intus inaurata sub clavi tute custoditum, quod debitis temporibus renovari et cum eodem [79] solemnem fieri processionem die festo Corporis Christi reverendus archipresbyter fassus est. Dixit quoque animas sub hac cura quae sacram communionem percipiunt ascendere ad numerum 1024, in totum vero implere summam 1478 et earum nullam fuisse inconfessam in Paschate, quo tempore distribui communicatis schedas et subinde colligi. Lampas ante sanctissimum Sacramentum semper die nocteque ardet accensa, sumptibus societatis sanctissimi Sacramenti; cerae vero manutinentur ex redditibus fabricae, qui annuatim ex livellis et afflictis perceptis sunt librarum 400 et reguntur ab ipso archipresbytero, communitate assentiente et impenduntur prout in nota exhibita et in fine huius libri reposita sub littera I. Pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos extant fanalia, vexillum, baldachinum, umbella, pixis, thronus aliaque ad id opportuna, quae ostensa fuere et vidit. Ad dictam associationem testatus est reverendus archipresbyter convocari [79^v] populum per consueta signa opportune data et publicari indulgentias associantibus impartitas. Postea frequenti utriusque sexus populo suo paterno amore sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Reposito sanctissimo Sacramento emissaque pia praeparatione, sacerdotalibus indutus fuit et sacrosanctum missae sacrificium peregit. Gratias Deo optimo maximo devote egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Porro defatigatus, ad edes parochiales se se restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 24 maii 1740 post prandium. Indigens illustrissimus et reverendissimus praesul, ex hucusque sufertis laboribus defatigatus, vires refficere, quieti indulsit et visitationem infrascriptorum oratoriorum illustrissimo suo vicario generali demandavit. Qui illustrissimus dominus vicarius generalis, sibi demandata exequendo, se ad eadem oratoria contulit et visitavit publicum oratorium seu simplicem ecclesiam Sanctae Annae dicatam, antiquitus in contrata *delle Mene* infra limites parochialis ecclesiae Castanearii pro inhabitantium [80] comodo erectam, [a margine: Sant'Anna] de ratione nobilium virorum Ioannis Delfini et Augustini Donà patritiorum venetorum, in quo, ex legato stipe tradita ducatorum 44 ex parte nobilis viri Delfini et ducatorum 40 ex parte nobilis viri Donati, missa celebratur singulis diebus festis et bis in qualibet hebdomada totius anni per reverendum dominum Matthaeum Padoanelli, sacerdotem

de Castaneario aetatis suae annorum⁷⁵, qui habitat domum contiguam dictae ecclesiae; ceterum dictum oratorium manutentur, miserrime tamen, a pietate inhabitantium. Tria ibi extant altaria, quae visitavit, scilicet: altare maius, cum portatili et icone; altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii seu Gratiarum, cum portatili et imagine beatae Mariae Virginis in muro depicta, manutentum, prout et altare maius, piorum eleemosynis; altare beatae Mariae Virginis a monte Carmelo cum portatili, ut supra piorum eleemosynis manutentum. In eodem oratorio pro inhabitantium comodo, attenta distantia a parochiali, de licentia tamen admodum reverendi archipresbyteri [80^v] docetur populus de doctrina christiana per antedictum reverendum cappellanum. Si contigit aliquem infirmum ex hic habitantibus communicandum esse, missa celebratur et, confecto Sacramento, illud ad infirmum defertur per archipresbyterum vel de eius licentia et propterea opportuna pro decenti associatione habentur, sufficienter provisum. Extabat parva sacristia, sed ab invadente Athesi diruta fuit; vidit tamen sacras suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missae, de quibus est sufficienter provisum. Factis vero sequentibus ordinationibus, ad oratorium infrascriptum transivit. Ordinata. mensa lignea qua mensa marmorea tegitur altaris maioris auferatur et illa marmorea utatur – eiusdem altaris portatile deprimitur ita ut tantisper sit supra mensam elevatum et tela cerata cooperiatur – deprimitur pariter ut supra portatile altaris beatae Mariae Virginis [81] a monte Carmelo – sarciatur missale romanum – sarciatur quoque sperae lintae prout indigent, immo si fieri potest fiant vitreae – excitetur pietas inhabitantium et devotorum ad maiorem cultum et ornatum eiusdem ecclesiae, cum sit domus Dei et orationis. [A margine: Sant'Agostino] Visitavit publicum oratorium sub invocatione Sancti Augustini, a pietate comitis Augustini Ferrarese anno 1732 erectum prope domum eius habitationis infra limites parochialis ecclesiae Castanearii, a quo de omnibus decore manutentur. Unicum in eo vidit et visitavit altare, marmoreum cum portatili et statua eiusdem sancti Augustini, bene ornatum et tentum, in quo celebratur ex pietate et devotione praedicti comitis Augustini diebus festivis per reverendum dominum Hieronymum Orgiani, sacerdotem de Baruchella iurisdictionis Vangaditiae, cum suis dimissorialibus ad beneplacitum die 3 aprilis 1739 concessis et cum mandato huius curiae episcopalis, aetatis suae annorum 32 circiter. [81^v] Retro altare extat chorus, qui inservit pro sacristia, ubi visitavit sacras suppellectiles pro celebratione missae necessarias, de quibus bene provisum esse invenit. Quibus absolutis, ordinavit ut infra et ad aedes parochiales Castanearii reversus est. Ordinata. Altare provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam – in sacristia fiat labrum seu fons pro ablucendis manibus sacerdotis celebrantis, cum suis manutergiis. Die mercurii 25 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus antistes, honorifice de more comitatus, ad praedictam parochialem ecclesiam Sancti Nicolai se contulit, quam per consuetas caeremonias ingressus est. Ante altare maius genuflexus, piam pro celebratione missae emisit praeparationem et sacerdotalibus indutus sacrosanctum missae sacrificium peregit suisque manibus nonnullis utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Debitas Deo gratias egit et unius ex suis cappellanis [82] missam audivit. Deinde rochetto et stola violacei coloris indutus, visitavit olea sancta, in vasculis stanneis et argenteis ac in arcula ad hoc constructa ad altare maius a latere evangelii servata et sub clavi custodita. Sacrum fontem baptismalem, a latere evangelii in quodam sacello erectum, tute sub clavi servatum. Confessionalia duo ex nuce confecta pro sacramentalibus poenitentium confessionibus excipiendis, in ecclesia exposita. Altare maius marmoreum, divo Nicolao titulari dicatum, cum portatili et icone in choro erecto, quod manutentur ex iam dictis redditibus fabricae. Hic die festo sancti Nicolai praedicti canitur missa a reverendo archipresbytero, ex legato nobilis viri Nicolai Contareni patritii veneti, pro qua legatum percipit librarum 37.4. Altare Conceptionis beatae Mariae Virginis, marmoreum cum portatili et statua eiusdem beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta, in arca sub crystallis servata. Hoc altare manutentur a societate ex eleemosinis et ex redditu [82^v] annuo ducatorum decem circiter. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, pariter marmoreum cum portatili et icone, manutentum a societate ex piorum eleemosynis, in quo ex devotione celebratur missa. Altare sancti Antonii, ex marmore constructum cum portatili, in quo celebratur ex devotione et piorum eleemosynis manutentur. Altare sancti Petri martyris, similiter ex marmoribus confectum cum portatili, de ratione communitatis, a qua et piorum eleemosynis manutentur; ex visitatione Gradonica anni 1716 dignoscitur teneri communitatem ex voto celebrari facere in eodem altari missas quatuor in anno. Item extare simplex perpetuum beneficium ecclesiasticum ad favorem reverendi domini Petri Ungari, cum obligatione celebrandi missas quadraginta in anno, de quo onere missarum 40 ex legato Ungari docet reverendus archipresbyter in sua policea praesentata et reposita in fine huius libri sub littera I; ex qua policea constat, vi aliorum legatorum ibi descriptorum, teneri dominum archipresbyterum [83] ad celebrationem quotannis aliarum missarum 87. Visitavit sacristiam et sacras suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missarum sacrisque functionibus peragendis, de quibus bene provisam esse cognovit. Vidit coemeterium et totam ecclesiam, divo Nicolao dicatam et in ea

suggestum in quo, tempore Quadragesimae, concionatur per concionatorem missum ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi. Quibus absolutis et factis ordinationibus infrascriptis, ad aedes parochiales se restituit et prandium sumpsit. Ordinata. Lunula ostensorii recte aptetur ut firma subsistat – provideatur umbella albi coloris, cum illa quae existit sit indecens – portatile altaris maioris tantisper deprimatur et firmetur in mensa – portatile quoque altaris Conceptionis beatae Mariae Virginis ut supra firmetur in mensa – altare sancti Antonii provideatur de novo portatile iuxta [83^v] mensuram canonicam. Die antedicta 25 maii 1740 post prandium. Convocato populo hora consueta doctrinae christianae, eiusdem pii operis examen habiturus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam praedictam Sancti Nicolai, solito honore concomitatus, descendit. In primis vero de cultu, frequentia et ordine tam neccessarii operis diligenter perquisivit; subinde pueros et puellas per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque neccessariis ad aeternam salutem comparandam expertus est, quos omnes – Deo dante – bene edoctos invenit et cum laude hoc sanctum opus procedere cognovit, quod nihilominus, cum tanti sit momenti, plurimum in Domino omnibus comendavit. Postea affluentibus utriusque sexus populo Confirmationis sacramento paterno suo amore ministravit. Ad aedes parochiales reversus, quieti indulsit et, recitata cum suis familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii una cum litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. [84] Die iovis 26 mensis maii 1740. Volens sacrum facere, consuetis honoribus rusticanorum militum, tubarum et tympanorum concomitatus, ad ecclesiam parochialem praedictam Sancti Nicolai Castanearii venit et, emissa pia praeparatione sacerdotalibusque indutus, sacrosanctum missae sacrificium peregit. Aliquibus etiam christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Deo debitas egit gratias et unius ex suis cappellanis missam audivit. Porro ad aedes parochiales restitutus, suae visitationis negotiis vacans, pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: admodum reverendus dominus Sanctes Merzari, sacerdos de Insula Scallarum aetatis suae annorum 53, archipresbyter huius parochialis ecclesiae Sancti Nicolai de Castaneario, quam obtinuit per concursum iuxta dispositionem sacrosancti Concilii tridentini et obtulit bullas pontificias diei 5 Kalendas decembris 1722; ostendit quoque libros parochiales matrimoniorum, baptizatorum, mortuorum [84^v] nec non praesentavit policeas iuxta edictum visitationis, repositas in fine huius libri sub littera I. Cum sit vicarius foraneus, suae vicariae foraneae mandatum praebeuit datum die 12 martii 1738, cum subiectione ecclesiarum, scilicet Castanearii, Carpii, Villae Bartholomaeae, Spinimbechi et Villabonae. Interrogatus autem de suo populo et clero, de utroque recte respondit et dimissus recessit. Reverendus dominus Carolus ab Arnis patavinus, sacerdos aetatis suae annorum 34, cum suis dimissorialibus ad triennium die 17 decembris 1708 concessis et cum mandato huius curiae ad confessiones pro hac cura die prima ianuarii 1740 ad annum confirmato. Reverendus dominus Antonius Camilli, sacerdos de Carpio aetatis suae annorum 34 circiter, sub hac cura degens. Reverendus dominus Matthaeus Padoanelli, simplex sacerdos huius parochiae aetatis suae annorum 75. Reverendus dominus Hieronymus Orgiani, sacerdos de Baruchella iurisdictionis vangaditiensis, cum suis dimissorialibus [85] ad beneplacitum die 3 aprilis 1739 datis et cum mandato huius curiae episcopalis ad confessiones pro hac cura die 17 iunii 1739, ad annum concessio. Qui omnes, plurima cum deveneratione, suorum ordinum mandata coeteraque eorum respective requisita ostenderunt, quae visa eisdem restituta fuere. Comparuerunt obstetrices scilicet: Hieronyma quondam Ioannis Modenese aetatis suae annorum sexaginta; Catherina vidua quondam Matthaei Padovanelli aetatis suae annorum 61 et Victoria vidua quondam Pauli Valentini aetatis suae annorum 53; quae per examen habitum idoneae et bene instructae de sacramento baptismatis in casu neccessitatis ministrando repertae fuerunt. A fide dignis testibus diligentes informationes sumpsit de vita, moribus et diligentia in suo munere praestando admodum reverendi archipresbyteri nec non de vita et moribus reliquorum sacerdotum et optime de archipresbytero ac pariter bene de clero fuit relatum. Comparuit dominus Ioannes Baviera, prior societatis sanctissimi Sacramenti et societatis sancti Francisci assisiensis in [85^v] dicta ecclesia parochiali erectarum et, habita prius de iisdem societatibus relatione et qua decet reverentia, praesentavit supplicationem et capitula tam pro una quam pro alia dictarum societatum, instando recipi et approbari suae auctoritate ordinaria roborari et ita et cetera. Qua reverenti instantia intellecta, mandavit supplicationes ipsas recipi una cum capitulis, super quibus decrevit ut infra et, hora iam ultra meridiem properata, prandium sumpsit. Tenor autem supplicationis capitulorum societatis sanctissimi sacramenti talis est ut sequitur, videlicet. Illustrissimo e reverendissimo prelato. Die 26 maii 1740 in visitatione Castanearii praesentata, una cum capitulis hic nominatis per infrascriptum dominum Ioannem Baviera, instando et cetera. Mossi da divozione verso l'augustissimo Sacramento, alcuni parochiani di Castagnaro col mezzo del loro arciprete don Santo Mezzari fecero reverente supplica all'illustrissimo e reverendissimo monsignor Marco Gradenigo vescovo di Verona per l'erezione della [86] confraternità sotto il titolo del medesimo Sacramento, vestendo cappa rossa e sotto li 12 giugno 1725 ebbero favorevole rescritto. Ma non essendosi finora stabiliti capitoli per la buona

direzione della medesima e desiderando di presente per il maggior culto e decoroso servizio del santissimo Sacramento stabilirli, qui annessi a vostra signoria illustrissima e reverendissima li umiliano, implorandone li confratelli riverentemente l'approvazione dalla di lei autorità, con favorevole suo rescritto per la loro puntuale esecuzione. Grazie et cetera. Io Giovanni Baviera, priore, affermo a nome di tutta la compagnia.

Laus Deo semper – 1730 adì 20 giugno. Capitoli della venerabile scuola del santissimo Sacramento eretta nella venerabile chiesa di san Nicolò del Castagnar per il suo buon ordine e direzione. Primo. Debba ascender il numero de confratelli almeno a quaranta ed avvantaggio se è possibile. 2° - Che tutti li associati confratelli debbano vestire ad ogni fonzione che compariranno una veste [86^v] rossa con suo capuccio con sopra l'impronto del santissimo Sacramento. 3° - Li medesimi confratelli tutti si compiaceranno d'intervenire con la loro cappa ogni terza domenica del mese alla processione, niuno eccettuato e, se alcuno non potesse intervenire per qualche giusto motivo, sia tenuto mandare altra persona e, mancando o non mandando, debba pagar di pena soldi cinque, salvo il caso di malattia. 4° - Doveranno parimenti i sudetti confratelli intervenire alle solenni processioni, cioè Corpus Domini, prima domenica d'ottobre, il giorno della Madonna della Salute, il giorno di sant'Antonio di Padova ed il venerdì santo e, mancando chi si sia d'intervenire o mandare, s'intenda totalmente escluso dalla confraternita, né più possa entrare che doppo il corso d'anni tre, pagando lire tre per pena nel suo ritorno. Doveranno tutti li confratelli ne predetti solenni giorni Corpus Domini, prima domenica ottobre e venerdì santo portarsi alle processioni [87] con il suo candelloto almeno di libra, tenendolo acceso sino terminata la processione. 5° - Saranno divisi li predetti confratelli in quattro parti, assegnando tre mesi di tempo ogni quarta parte come dalle quattro tabelle esposte in chiesa comprenderanno il tempo, l'ora assegnata per dover accompagnar il santissimo Sacramento all'infermi et quelli che mancherà d'intervenire, avendo avuto il segno della campana la sera antecedente, doverà pagar soldi cinque per pena e, succedendo qualche improvvisa comunione, concorreranno quelli aspettanti e se alcuno mancasse sarà sollevato di pagare la pena. 6° - Nella morte d'ogni qualunque confratello doveranno intervenirvi tutti li viventi e da essi esser portato il cadavere al sepolcro, prescindendo dalli ufficiali e quelli che non intervenissero siano tenuti alla sopradetta pena. 7° - Li medesimi confratelli, tutti quanti sono, doveranno ogn'anno nella solennità del Corpus Domini [87^v] pagar soldi venti per ciascheduno per esser impiegati come qui a piedi si dirà e quello che mancasse all'esborso sudetto s'intenderà assolutamente escluso dalla società, né abbia più azione di potervi entrare, passata però l'ottava del Corpus Domini. 8° - Che ad ogni confratello deffonto si siano celebrate messe tre del soldo depositato e li sacerdoti che avranno a celebrare vadino sempre unitamente al paroco a levar il cadavere e li siano date per elemosina lire tre per ciascheduno, dovendo poi la casa del deffonto confratello riconoscere al paroco del suo diritto e, caso che il confratello fosse povero e non avesse il modo di contribuire al paroco il predetto suo diritto, s'obliga il medesimo assistere a funerali per carità, con questo però, che il paroco pro tempore voglia a ciò aderire. 9° - Nella solennità del Corpus Domini, nel giovedì santo e prima domenica ottobre siano tenuti et obbligati tutti i confratelli fare la sua comunione per cadauno delli sudetti giorni, in pena a chi mancasse [88] di decader dalla fraterna e di non potervi entrare se non doppo anni tre e subintrando pagare per pena lire tre. 10° - Nel mercoledì santo doveranno intervenire li confratelli stessi alla manifattura del santo sepolcro, con l'obbligo espresso, doppo riposto il santissimo Sacramento, di far tutti a due per due la sua ora all'adoratione nel detto sepolcro, che già li saranno prescritte nel giovedì santo mattina. 11° - Doveranno parimenti tutti li confratelli intervenire alla solenne processione nell'ottava del Corpus Domini con il suo lume acceso, in pena ut supra. 12° - Doveranno essere eletti dal numero de nostri confratelli i seguenti officiali acciò sia ben diretta la confraternità, cioè: priore, sottopriore, cassier, mazziero e due consiglieri. L'ufficio delli priori doverà esser di tenir uniti tutti li confratelli ed esortarli ad adempire alle regole sudette e punire li trasgressori con le pene dette; l'attenzione d'esigere ed alla morte d'un qualche confratello ritrovar [88^v] li religiosi predetti s'incomberà al cassiere; il mazziero doverà tenir in buon ordine li confratelli nelle funzioni. Li consiglieri doveranno, venendo nuovi confratelli nella società, essere preventivamente avvisati per passar di buona corrispondenza con li principali, come pure se la fraterna volesse levar o aggiunger qualche altra regola debba prima esser noto alli medesimi consiglieri e, non aderendo alle proposte, non possi sussistere quanto venisse stabilito senza il loro assenso, unito però agl'altri officiali. Doveranno di più ogni tre anni esser fatti nuovi officiali, con l'intervento ed assenso all'elezione di tutti li confratelli. 13° - Resta stabilito che ogni tre anni si debbano nel modo qui detto eleggere il priore, sottopriore e cassiere, ma il mazzier e li due consiglieri debbano essere ballotati ogni anno. 14° - Per oviare ad ogni qualunque confusione, resta determinato che ogni confratello sia obbligato esborsare nella solennità del Corpus Domini [89] soldi dieci per cadauno, oltre li soldi venti oltre detti e questi saranno impiegati in occasione d'un qualche confratello morto, per pagare gli uomini che averanno a portare il cadavere alla sepoltura. 15° - Aderendo a quanto di sopra si è stabilito, si

dichiara che, essendo una volta esclusi li confratelli, non possano più in modo alcun venire ammessi nella confraternita, ancorché volessero adempiere alle comminate pene. Così pure, venendo il caso che alcuno manchi d'intervenire alle ordinarie fonzioni, quando non fosse per spregio o mala volontà, non incorra nelle sopra accennate pene delli soldi cinque. Decretum. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, visa, lecta et mature perpensa supplicatione antescrpta ut ante sibi praesentata visisque capitulis ad numerum quindecim pro bono regimine societatis sanctissimi Sacramenti, erectae in parochiali ecclesia Castanearii veronensis [89] diaecesis, formatis, eidem supplicationi favorabiliter annuendo, tenore praesentium capitula seu regulas ad numerum 15 praefatas pro bono gubernio et regimine eiusdem societatis, approbavit et confirmavit illisque auctoritatem suam et iudiciale decretum pro perpetuo firmitatis robore interposuit, salvis semper et integris remanentibus quocumque tempore iuribus parochialibus, salvis etiam et resservatis quibuscumque dispositionibus tam constitutionum synodaliū quam sacrorum canonum aliisque de iure et cetera, resservando tamen sibi et successoribus suis ius addendi vel diminuendi prout temporum ratio et visissitudo suaserit. In quorum fidem et cetera. Ioannes episcopus veronensis.

Tenor vero supplicationis et capitulorum societatis sancti Francisci talis est ut sequitur, videlicet. Illustrissimo e reverendissimo prelato. Die 26 maii 1740 in visitatione Castanearii praesentata una cum capitulis hic nominatis per dominum Ioannem Baviera infrascriptum, instando et cetera. [90] Fino sotto li 30 giugno 1721 l'illustrissimo e reverendissimo Marco Gradenigo suo precessore con favorevole decreto, ad istanza del reverendissimo signor don Giorgio Biolche e d'alcuni devoti della comunità di Castagnaro, eresse la compagnia di san Francesco d'Assisi ed approvò li suoi capitoli al numero di ventisei, spettante al buon governo della medesima. Ottenne poscia sotto li 24 ottobre 1728 la grazia dal sommo pontefice di poter fare il passaggio nella propria parochiale a suffraggio de confratelli deffonti, non solo, ma vivi ancora come se fatto fosse in Assisi. Si rende perciò neccessario la regolazione e rinovazione delli capitoli per la direzione della compagnia medesima; onde che a vostra signoria illustrissima e reverendissima riverentemente s'umiliano a fine che la di lei paterna clemenza si degni di firmarli ed approvarli coll'auttorevole suo decreto. Grazie. Io Giovanni Baviera, priore, a nome anco di tutta la compagnia. Castagnaro adi 14 luglio 1739. [90] Capitoli della confraternita di san Francesco d'Assisi, eretta in questa nostra parochiale di San Nicolò di Castagnaro. 1° - Ordiniamo che quelli entreranno in questa confraternità siano persone di buona fama e morigerati di costumi e che siano da comunione. 2° - Doveranno pagare ogn'anno tutti li associati nel giorno primo e secondo agosto soldi quatro et il simile pagheranno quelli che di nuovo si faranno associare e quelli che mancherà di annualmente pagare, passando a miglior vita, sarà privo del sacrificio privilegiato e del passaggio per li due agosto. 3° - Li nuovi confratelli che di anno in anno entreranno in detta fraterna debbano essere confessati e comunicati e così parimente faranno tutti li confratelli per la solennità delli due agosto per ricevere il santo tesoro dell'indulgenza. 4° - Ogni confratello che passerà a miglior vita, quando in quell'anno abbia pagato alla fraterna la sua obligazione delli soldi quatro, il primo venerdì doppo la sua morte li sarà celebrata una [91] messa privilegiata, come da bolla pontificia apparisce e per li due agosto sarà cavato a sorte uno de nostri confratelli per il suo passaggio. 5° - A fine non succedi confusione, è neccessario distribuire gl'ufficii perché ogniuno impiegandosi con la sua parte, come fanno li membri in un corpo, il tutto camini bene. 6° - Devono esser eletti dal numero de nostri confratelli li seguenti ufficiali: priore, sottopriore, cancellier, cassiere e quatro consiglieri, con obbligo a tutti li sudetti ufficiali di ben dirigere e governare la fraterna, passando alla renovazione delle cariche sudette ogni triennio nella seconda domenica di luglio. 7° - Si ordina che nella seconda domenica di luglio si raduna la maggior parte de nostri confratelli per far l'estrazione di tutti li deffonti fra anno, per il suo passaggio in questa parochiale li due agosto. 8° - Tutte le cariche seco portano l'esenzione delli [91] quatro soldi annui e sono a parte di tutti li benefizii. 9° - Dovendosi fare nella compagnia qualche nuova cosa essenziale od impiegar civanzi di danaro o qualche altra cosa, debba esservi l'assenso di tutti li ufficiali e, se le opinioni fossero differenti, debbano il numero d'ufficiali dividersi in due parti e la maggior parte abbia l'elezione e la nullità secondo succederà alle parti il maggior numero. 10° - Che per il sacrificio privilegiato sarà contato al signor arciprete o al sacerdote celebrante lire tre conforme il consueto per il passato, dovendosi adempire ogni venerdì a tutti li confratelli defonti col suo sacrificio e, se non fossero li religiosi del paese sufficienti, si debbano ritrovar altri religiosi, acciò l'anime abbiano il loro suffraggio. Decretum. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et cetera, visa, lecta et mature perpensa supplicatione antescrpta visisque capitulis ad numerum decem pro bono gubernio et regimine societatis sancti Francisci de Assisio in [92] ecclesia parochiali Castanearii veronensis diaecesis renovatis sibi humiliter porrectis, inhaerendo decreto erectionis diei 30 iunii 1721, eiusdem societatis capitula ipsa ad numerum decem pro regulatione et bono regimine ipsius societatis approbavit et confirmavit illisque auctoritatem suam et iudiciale decretum pro perpetuo firmitatis

valore interposuit, salvis tamen omnibus et quibuscumque expressis in dicto decreto erectionis, cui et cetera. In quorum fidem et cetera. Ioannes episcopus veronensis.

Die antedicta 26 maii 1740 post prandium. Humillimis supplicationibus sibi porrectis pro aliquibus Confirmationis sacramentum petentibus benigne annuendo, praefatus illustrissimus et reverendissimus praesul, ut supra honorifice comitatus, in ecclesiam parochialem Sancti Nicolai Castanearii descendit; qua per consuetas caeremonias ingressa, ante altare maius genuflexus paulisper oravit. Porro pontificalibus indutus, [92^v] aliquibus utriusque sexus christifidelibus iuxta pontificale romano Confirmationis sacramentum ministravit. Subinde ad aedes parochiales se restituit et, recitata cum familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die veneris 27 mensis maii 1740. Cum feliciter suam pastorem visitationem parochialis ecclesiae Sancti Nicolai Castanearii absolverit, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus illam de more clausurus, in dictam ecclesiam descendit et, recitatione *De Profundis*, clausit. Deinde statuta iam hac die pro sua visitatione pastoralis parochialis ecclesiae Nativitatis beatae Mariae Virginis de Villabona, Castanearium reliquit, receptis cum plurima deveneratione et a clero et a populo gratiarum actionibus et populo, processionaliter devote praecedente, pias laudes decentante et turba hominum armatorum pedestri et alia equestri dicti loci Castanearii honorifice cum tubis et tympanis concomitante, ipse illustrissimus et reverendissimus praesul, pedestri itinere [93] ad Portum usque vulgo *Canal Bianco* se contulit. A ripa Portu soluto genuflexo populo et colacrimanti benedixit, a quo fuit plurima explosione salutatus. Traiecto flumine seu vulgo *Canal Bianco della Rota*, a turba hominum armatorum Villaebonae honorifice fuit receptus. Subinde occurrit processionaliter populus et doctrina christiana pias laudes decantantes, a quibus omnibus devote concomitantibus ad aedes parochiales sonantibus campanis perductus fuit, in quibus cum deveneratione exceptus fuit ibique suam statuit mansionem. Illico suum volens habere in ecclesiam ingressum, dum opportuna pararentur, paulisper quievit.

[A margine: VILLABONA] Omnibus rite dispositis, sub baldachino a quatuor confratribus cappa rubri coloris vestitis gestato receptus, deosculata prius cruce a reverendo rectore sibi in egressu domus oblata, processionaliter cantico *Benedictus* de more decantato, ecclesiam parochialem praedictam, explosionibus, tubis ac campanis obstrepentibus adivit. In limine [93^v] portae maioris aqua benedicta populum aspersit aspergillo recepto a reverendo rectore, a quo recepit quoque thurificationis honorem. Porro sonantibus organis, solemniter ecclesiam ingressus est. Ante altare maius genuflexus, pias Altissimo preces fudit. Interim consuetis expletis, altare ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit et adstantibus suam episcopalem indulgentiam, de suo mandato, confessione praemissa, publicatam, impartitus est. Ad thronum sibi paratum a cornu evangelii venit, ubi indutus fuit sacris paramentis violacei coloris et exequias pro defunctis de more in ecclesia et coemeterio ad quod, cum aliquantulum distet ab ecclesia, processionaliter perexit illudque visitavit. Subinde depositis paramentis violacei coloris sumptisque albis, praemissa debita adoratione cum hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus [94] inaurata sub clavi argentea bene et tute custoditum, quod renovari debitis temporibus reverendus rector asseruit et cum eodem, die festo Corporis Christi, solemnem haberi processionem. Sub hac cura animae quae sacram communionem suscipiunt numerantur 580, in totum vero 870, quarum nulla fuit in Paschate inconfessa, quo tempore communicatis distribuuntur schedae et subinde colliguntur. Lampas nocte dieque ante sanctissimum Sacramentum manutinetur accensa a societate sanctissimi Sacramenti, de cereis vero providet communitas seu massarius generalis. Pro decenti associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos opportuna extant, quae vidit, ad quam associationem convocatur populus per consueta signa, ut fassus est reverendus rector et impartitae associantibus indulgentiae publicantur. His actis, frequenti populo utriusque sexus suo paterno amore sanctissimum Eucharistiae sacramentum [94^v] ministravit. Reposito sanctissimo Sacramento, ad thronum venit, piam emisit praeparationem et, sacerdotalibus indutus, in altari maiori sacrosanctum missae sacrificium peregit. Debitas Deo gratias egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Quibus absolutis, in aedes parochiales se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 27 maii 1740 post prandium. Doctrinae christianae examini vacavit volens, convocato populo per consueta signa, comitatus in dictam ecclesiam parochialem descendit, quam per solitas caeremonias ingressus est et ante altare maius genuflexus paulisper oravit. Deinde diligenter perquisivit quis est cultus, quae frequentia, quis ordo huius sancti operis et quomodo edoctus sit populus, per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus factas, cognovit, quem sufficienter instructum invenit. Hoc tamem sanctum [95] opus fidelium animabus adeo proficuum plurimum in Domino omnibus comendavit. Pontificalibus autem indutus, pluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Postea rochetto et stola violacei coloris indutus, visitavit: olea

sancta, a cornu evangelii altaris maioris in arcula nucea et in vasis argenteis et stanneis sub clavi custodita; quotannis renovata recipiuntur a cathedrali Veronae et vetera comburuntur. Sacrum fontem baptismatis, in angulo ecclesiae a latere evangelii erectum, rastris ferreis septum et sub clavi custoditum. Tria confessionalia pro sacramentalibus poenitentium confessionibus excipiendis. Altare maius, marmoreum in mensa consecrata et cum tabernaculo pariter marmoreo ac icone celebris picturae, Nativitati beatae Mariae Virginis dicatum et a societate ex piorum eleemosynis manutentum. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, ex marmore et stucco [95] elaboratum, cum portatili ac statua eiusdem beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta, in arcula sub crystallis custodita; manutenetur a societate ex piorum eleemosynis. Altare Conceptionis beatae Mariae Virginis, ut supra ex marmore et stucco confectum, cum portatili et statua eiusdem beatae Mariae Virginis in arcula servata, quod pium eleemosynis manutenetur. Altare sancti Rocchi, marmoreum in mensa in reliquis ligneum, cum portatili et statua ex ligno sculpta eiusdem sancti Rocchi, quod ut supra piorum eleemosynis manutenetur, ubi custodiuntur nonnullae sacrae reliquiae, quae ostensae fuerunt, videlicet: sacrae reliquiae sanctorum Christi martyrum Felicis, Gaudiosae, Iustini, Eutropiae, in quatuor reliquiariis capsis argento linitis et crystallo coopertis repositae, intus clausae et instrumento huius curiae episcopalis diei 14 maii 1735 munitae. Alias quoque vidit sacras reliquias, nempe: sancti Aloysii Gonzaghae, in theca ex auricalco, cum documento [96] huius curiae episcopalis diei 17 iunii 1737: ex cineribus sancti Francisci de Paula, in theca argentea cum documento ut supra diei 5 ianuarii 1735; particulae ex ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, cum aliis sacris reliquiis, una simul in cruce ex auricalco, repositis cum documento ut ante diei 5 ianuarii 1735. Duae officiaturae habentur in hac ecclesia missarum trium pro quaque in qualibet hebdomada, una quarum est assignata reverendo rectori, cum stipe ducatorum 40 et altera reverendo curato, cum stipe ducatorum 30 in anno, quas summas percipiunt a nobili viro domino Aloysio Mocenico quarto quondam nobilis viri Aloysii primi, equitis Sancti Marci. Vidit sacristiam, a latere epistolae altaris maioris existentem, qua tamen ob nimiam umiditatem uti non potest; ideo visitavit sacras suppellectiles in choro servatas, de quibus abunde est provisum. Vidit totam ecclesiam, Nativitati beatae Mariae Virgini dicatam et consecratam, prout ex depictis in parietibus [96] crucibus colligitur, sed cum ignoretur dies huiusmodi consecrationis, ex instantia facta in visitatione Gradonica die 6 maii 1716 habita, assignata fuit tertia dominica octobris, de quo memoria retro altare maius in choro servatur et huiusmodi dies dedicationis singulis annis collitur. In dicta ecclesia, quae est iurispatronatus praelibati nobilis viri domini Aloysii Mocenico quarto, vidit suggestum et organa. Quibus absolutis factisque ordinationibus infrascriptis, ad aedes parochiales reversus ets et, recitata tertia parte sanctissimi rosarii et litanis beatae Mariae Virginis una cum sua familia, incoenatus pernoctavit. Ordinata. Provideatur fanale maius, quod praecedat in delatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos – in summate altaris sanctissimi Rosarii erigatur baldachinum quo mensa et sacerdos celebrans tegantur – item portatile eiusdem altaris cooperiatur tela cerata – altare beatae Mariae Virginis sine labe Conceptae simili baldachino [97] cooperiatur et eiusdem portatile provideatur ut supra de tela cerata – item baldachinum fiat ad altare sancti Rocchi et pariter eiusdem portatile cooperiatur tela cerata – confessionalia muniantur tabella casuum resservatorum – erbae surescentes in coemeterio debitis temporibus eradantur et comburantur. Die sabbathi 28 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, solitis honoribus prosecutus, in ecclesiam parochialem antedictam descendit et, ante altare maius genuflexus, pia praeparatione emissa, sacerdotalibus inde indutus sacrosanctum missae sacrificium fecit. Gratias Deo optimo maximo egit et ad parochiales aedes se se restituit in quibus, suae visitationis negotiis incumbens, pro tribunali sedit. Coram quo comparuerunt: admodum reverendus dominus Antonius Lazzaroni, sacerdos venetus aetatis suae annorum 65 circiter, rector huius parochialis ecclesiae Nativitatis beatae Mariae Virginis de Villabona, quae est iuspatronatus [97] elligendi et praesentandi nobilis viri domini Aloysii Mocenico quarti patritii veneti, ad cuius praesentationem illam obtinuit cum bullis episcopalibus diei 7 februarii 1728, quas ostendit una cum libris parochialibus baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum ac status animarum; insuper praesentavit polliceas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri repositas sub littera **K**. Interrogatus de suo clero et populo, recte de utroque respondit et dimissus recessit. Reverendus dominus Hieronymus Mazo, sacerdos venetus aetatis suae annorum 26 circiter, cum suis dimissorialibus ad biennium diei 26 novembris 1739 concessis et cum mandato huius curiae episcopalis ad confessiones pro maribus et mulieribus infirmis, ad annum dato die 7 decembris 1739 pro hac cura, in qua curati munere fungitur. Venerabilis clericus in sacro subdiaconatus ordine constitutus Ioannes Baptista Fenzi, aetatis suae annorum 21 circiter. Venerabilis clericus subdiaconus Franciscus Zani, qui annumeratus est inter alumnos venerabilis seminarii Veronae. [98] Qui, debita cum deveneratione, suorum ordinum mandata et caetera requisita ostenderunt, quae visa eisdem restituta fuere. Expertus est obstetrices de ministratione sacramenti baptismi in casu necessitatis, scilicet

Angelam uxorem Ioannis Martinelli et Catharinam viduam quondam Petri Pirochi, quas idoneas et bene instructas invenit. Tandem a fide dignis testibus diligentes informationes sumpsit de vita, moribus ac diligentia in suo munere praestando reverendi rectoris nec non de vita et moribus reverendi curati et aliorum clericorum et tam de reverendo rectore quam de caeteris recta habuit. Quibus absolutis, facta hora tarda, prandium sumpsit. Die antedicta 28 maii 1740 post prandium. Cum suam pastorem visitationem huius parochialis Villaebonae feliciter absolverit, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in dictam ecclesiam consuetis honoribus comitatus descendit et, de more, cum recitatione *De profundis* illam clausit. Porro cum deveneratione a clero et populo gratiarum actionibus [98^v] receptis, iter suum ad parochialem ecclesiam Sancti Laurentii de Begossio direxit. Usque ad portum populo processionaliter praecedente pedester se contulit, a turba rusticanorum militum clangentibus tubis concomitatus. Ad portum perventus, populo genuflexo Villaebonae benedixit, a quo plurima explosione fuit salutatus et Athesim traiecit. Inceptum iter proseguendo, illud tenuit per Castrumbaldum. Ad confinia Begossii propinquans, obvium habuit admodum reverendum curatum et milites rusticanos equestres et pedestres, cum tubis et tympanis, a quibus, una cum populo processionaliter occurrente et pias laudes decantante, omni reverentia et laetitia receptus fuit et ductus ad aedes, quas inhabitat reverendus curatus cum domus parochialis sit diruta et inhabitabilis, in quibus aedibus suam statuit mansionem. Laetabundus populus suae laetitiae frequenti explosione signa dedit. Porro absolutis consuetis devenerationibus et humanitatis officiis, recitata tertia parte sanctissimi rosarii cum sua familia, illustrissimus praesul incoenatus pernoctavit.

[99] [A margine: BEGOSSO] Die dominico 29 mensis maii 1740. Volens hac mane solemnem suum habere ingressum in parochialem ecclesiam Sancti Laurentii de Begosso, convocatus fuit populus. Omnibus vero recte dispositis, illustrissimus et reverendissimus antistes receptus fuit sub baldachino, a quatuor selectis viris gestato, et deosculata cruce a reverendo curato oblata, in statuto loco non procul ab ecclesia, ad quam illustrissimus et reverendissimus praesul, quadriga vectus venit, praeunte populo et clero canticum *Benedictus* de more decantante, ad praefatam ecclesiam iter fecit. Quo perventus, in eius limine populum genuflexum aqua benedicta aspersit et thurificationis honorem ab ipso reverendo curato recepit. Subinde, tubis et tympanis obstrepentibus, campanis et organis sonantibus, ecclesiam ipsam solemniter ingressus est. Ante altare maius progressus et in parato faldistorio genuflexus, Altissimo fudit pias preces; interim consueta decantata fuere. Quibus expletis, illustrissimus et reverendissimus antistes altare ascendit et, recitata titularis oratione, populo [99^v] benedixit suamque episcopalem indulgentiam, confessione praemissa, de suo mandato publicatam omnibus adstantibus impartitus est. Sibi paratum thronum a latere evangelii ascendit, ubi indutus pontificalibus violacei coloris, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio contiguo peregit. Depositis sacris apparamentis violacei coloris aliisque sumptis albi coloris, cum debita adoratione, hymno et thurificatione visitavit: sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in tabernaculo ex stucco elaborato et pixide argentea in cupa intus inaurata, sub clavi custoditum, quod asseruit reverendus curatus debitis temporibus renovari; ante quod sanctissimum Sacramentum nocte dieque accensa ardet lampas, piorum eleemosynis manutenta et quibus eleemosynis mantenentur etiam cerae. Sub hac cura animae quae sacram sumunt communionem numerantur 501, in totum vero 793, inter quas una existis in Paschate inconfessa, nunc egrota, quam serio monere debere reverendo curato mandavit ut [100] suae consulat saluti et praeceptis sanctae matris ecclesiae oboediens sit et, in casu contumaciae, suae illustrissimae et reverendissimae dominationi referat, opportunum daturae remedium. Reverendus curatus interrogatus asseruit communicatis in Paschate distribuere schedas illasque subinde colligere; populum per consueta signa ad associationem sanctissimi Sacramenti dum ad infirmos defertur convocari et associantibus impartitas indulgentias publicare nec non pro decenti associatione opportuna extare, baldachinum scilicet, umbellam, amigdalam, vexillum, fanalia et alia, quae ostensa fuere et vidit. Porro adstantibus utriusque sexus christifidelibus et devote petentibus paterno suo amore sacrosanctum Eucharistiae sacramentum ministravit. Deinde piam emisit praeparationem pro celebratione missae et, sacerdotalibus indutus, sacrum fecit, frequentibus explosionibus tubis, tympanis et organis honoratus. Gratias Deo optimo maximo devotissime egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. [100^v] Quibus absolutis, rochetto et stola violacea indutus visitavit: olea sancta, in arcula ad hoc parata a latere evangelii altaris maioris et in vasculis stanneis tute sub sera et clavi custodita. Recipiuntur singulis annis a parochiali ecclesia de Carpio, veteribus combustis. Sacrum fontem baptismalem, in capellula in calce ecclesiae a latere epistolae erectum et sub rastris ligneis custoditum. Duo confessionalia in ecclesia exposita pro sacramentalibus poenitentium confessionibus excipiendis. Altare maius, divo Laurentio ecclesiae titulari dicatum, ex stucco elaboratum cum portatili et icone sine choro, quod mantenentur piorum eleemosynis, ubi nullum assertum fuit extare onus missarum. Altare beatae mariae Virginis a monte Carmelo, ex marmoribus constructum cum portatili et statua eiusdem beatae Mariae

Virginis ibi in arcula custodita. Hoc altare manutinetur piorum eleemosynis et a societate sub invocatione dictae beatae Mariae Virginis, hic a septuaginta et ultra erecta, [101] cuius confratres induunt cappas cum rochetto albi coloris. In eodem altari celebratur ex devotione, nullo extante – ut assertum fuit – missaum onere. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, ex stucco elaboratum cum portatili, icone et statua eiusdem beatae Mariae Virginis, quod manutinetur piorum eleemosynis et a societate sub nomine dictae beatae Mariae Virginis, instituta cum bulla diei 2 augusti 1638. Percipitur annuus redditus librarum 150 a livellariis, cum onere quatuor officiorum in anno ex legato Concionati, quorum tres sunt missarum duodecim et altarum missarum sex, quae in totum constituunt summam missarum 42. Altare sancti Antonii patavini, stucchi ornatum cum portatili, alias de ratione nobilis viri de Vetturis, modo nobilis viri Sebastiani Barbadini patritii veneti, a quo et piorum eleemosynis manutinetur. Hic extat onus unius missae qualibet tertia feria cuiuslibet hebdomadae, ex legato quondam nobilis viri domini Petri Vetturi; fertur quoque aliud extare legatum missarum duarum in qualibet hebdomada [101^v] ad libitum ex legato quondam nobilis dominae Cattarinae vetturi. Altare sanctissimi Crucifixi seu sanctissimi Nominis Dei cum portatili et icone ac ornamentis ex stucco; manutinetur a societate eiusdem sanctissimi Nonminis Dei et ex piorum eleemosynis, cuius societatis confratres induunt cappas nigri coloris. In hoc altari celebratur ex devotione, cum nullum sit missarum onus. Visitavit sacristiam, a latere epistolae altaris maioris existentem et ibi sacras suppellectiles ac vasa sacra, de quibus sufficienter esse provisum invenit. Vidit totam ecclesiam, divo Laurentio martyri dicatam et a 18 circiter annis a cornu evangelii ampliatam et in ea organa et suggestum. Visitavit coemeterium ecclesiae contiguum et domum parochialem, dirutam et inhabitabilem. Quibus expletis, ordinavit ut infra et ad praedictas aedes reverendi curati se se restituit et prandium sumpsit. Ordinata. Altare maius provideatur de tela cerata qua eius [102] portatile cooperiatur – altare beatae Mariae Virginis a monte Carmelo provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam illudque cooperiatur tela cerata – portatile quoque altaris beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii cooperiatur tela cerata – fons baptismalis provideatur de decenti conopeo, quo tegatur et in eiusdem capellula aperiatur fenestra – cooperiatur pariter tela cerata portatile altaris sancti Antonii patavini – tabernaculum quod asseruit in hebdomada maiori intus vestiatur panno albi coloris – in sacristia fiat labrum seu fons cum suis manutergiis pro abluendis et tergendis manibus sacerdotum celebrantium – conficiatur et in sacristia habeatur liber pro registrandis missis quae quotidie celebrantur manu propria ipsorum celebrantium – patena quae indiget inauretur et retro saltem argento [102^v] dealbetur – domus pro habitatione reverendi curati modo diruta et inhabitabilis laudabiliter restauretur et habitabilis reddatur. Die antedicta 29 maii 1740 post prandium. Licet pluente caelo illustrissimus et reverendissimus dominus Antistes dictam ecclesiam reversus est doctrinae christianae examen habiturus. Itaque convocato iam populo per consueta signa in primis quaenam sit frequentia qui cultus qui ordo huiusmodi sancti operis diligenter perquisivit subinde populum et praecipue pueros et puellas per varias interrogatione di mysteriis fidei aliisque ad eternam salutem spectantibus expertus est et sufficienter instructos invenit et hoc sanctum opus iuxta regulas coli et regi. Omnibus vero opus ipsum plurimum in Domino comendavit ac diligentiam et frequentiam enixe hortatus est. Porro quampluribus utriusque sexus christifidelibus [103] Confirmationis sacramentum ministravit. Quibus expletis, ad dictas suae mansionis aedes se se restituit et, recitata tertia parte sanctissimi rosarii ac litanis beatae Mariae Virginis cum suis familiaribus, incoenatus pernoctavit. Die lunae 30 mensis maii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, consuetis honoribus militum, tubarum et tympanorum concomitatus, ad praedictam parochialem Begossii venit, quam per solitas ceremonias ingressus est et ante altare missae sacrificium peregit. Debitas Deo optimo maximo gratias humillime egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Subinde quampluribus petentibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Ad aedes sui incolatus reversus, pro tribunali sedit; coram quo comparuerunt: [103^v] admodum reverendus dominus Gaspar Baviera, sacerdos de Castaneario veronensis diaecesis, aetatis suae annorum 62 circiter, curatus amovibilis huius parochialis ecclesiae Sancti Laurentii de Begossio, quae est de iurepatronatus nobilium virorum de Vetturis et de Barbadico patriciorum venetorum, ad quos spectat ius elligendi et amovibiliter praesentandi reverendum curatum eiusdem ecclesie, ad quam ab iisdem ellectus et amovibiliter praesentatus fuit ipsemet reverendus dominus Gaspar Baviera, prout ex mandato pro hac cura animarum ostenso, viso et restituto, ad annum ultimo loco die 3 iulii 1739 confirmato. Ostendit quoque libros parochiales, scilicet baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum ac status animarum nec non praesentavit policeas iuxta aedictum visitationis, in fine huius libri sub littera **L** repositas. Interrogatus de suo clero et populo et an adsint haeretici vel suspecti de haeresi, usurarii, concubinarii aliique publici peccatores, respondit excepto uno inconfesso in Paschate, modo aegrotante, [104] nihil habere de quo indoleat et bene in reliquis retulit, cui mandavit, ut ante, ipsum inconfessum aegrotantem serio monere debere et, si contumax

sit, diligenter referre et fuit dimissus. Reverendus dominus Ioannes Baptista Gaiardi, sacerdos veronensis aetatis suae annorum 37, eiusdem ecclesiae curatus et confessarius, cum mandato episcopali ad annum die 22 ianuarii 1740 confirmato, quod, una cum reliquis suis requisitis, obtulit et eadem visa illi restituta fuere. Diligentes postea informationes sumpsit a fide dignis testibus de reverendo curato amovibili alioque sacerdote in eadem cura laborante et de populo et bona de omnibus habuit. Comparuit Blasias uxor Michaelis Monestiero, aetatis suae annorum 57, obstetrix et per examen idonea reperta fuit de sacramento baptismi in casu necessitatis conferendo. Alia extat obstetrix, scilicet Lucia Rizolla aetatis suae annorum 75, quae modo infirmatur sed bene instructam [104v] esse asseruit reverendus curatus. Quibus absolutis, prandium sumpsit. Die antedicta 30 maii 1740 post prandium. Priusquam suum statutum iter ad parochialem ecclesiam Nichesolae illustrissimus et reverendissimus praesul capesceret, in antedictam parochialem ecclesiam Begosii descensus, suam pastorem visitationem iam confectam, cum recitatione *De Profundis* de more clausit. Porro plurimum deveneratus a reverendo curato et populo, gratias agentibus, honorifice ab iisdem equestri et pedestri militia, explosionibus, tubis et tympanis concomitatus, usque ad confinia ad Nichesolae locum iter fecit. Ad confinia perventus, dimissis reverendo curato et populo praedictis, cum sua paterna benedictione, humilime exceptus et deveneratus fuit a reverendo archipresbytero et populo loci praefati Nichesolae, militum ordine equestri et pedestri occurrente cum frequenti explosione et tubis. Subinde obvium processionaliter habuit populum virorum et mulierum, puerorum et puellarum, pias laudes decantantem. Iter suum proseguendo, ex adversa [105] ripa Athesis ab archipresbytero, clero et populo Villae Bartholomaeae cum vexilli ludo, campanarum sonitu et frequentibus explosionibus devenerationis et amoris signa recepit, quibus benedixit. Demum perventus ad aedes nobilis domini comitis Gasparis de Lazisio, quas humanissime pro habitatione sua illustrissimo et reverendissimo praesuli exhibuit, ibi obsequenter receptus, suam mansionem fixit expletisque urbanitatis et devenerationis officiis, cum sua familia tertiam partem sanctissimi rosarii et litanias beatae Mariae Virginis recitavit et incoenatus pernoctavit.

[A margine: NICHESOLA] Die martis 31 mensis maii 1740. Omnibus recte dispositis pro suo publico habendo ingressu, illustrissimus et reverendissimus praesul usque ad statutum locum sua quadriga vectus venit, ubi non procul ab ecclesia, sub baldachino, a quatuor selectis viris gestato, receptus, deosculata cruce sibi a reverendo archipresbytero oblata, honorifica pompa, clangentibus tubis et sonantibus campanis, processionaliter praefatam parochialem ecclesiam Sancti Petri Celestini de Nichesola [105v] adivit, in cuius limine genuflexum populum aqua benedicta aspersit aspergillo recepto a reverendo archipresbytero, a quo et thurificationis honor praestitus fuit. Subinde solemniter ecclesiam ingressus est. Ante altare maius genuflexus, pias preces Altissimo fudit, decantatis interim consuetis a clero decantandis. Altare ascendit eoque deosculato et titularis oratione recitata, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato confessione praemissa publicatam, impartitus est. Ad thronum sibi a latere evangelii paratum venit, ubi, assistantibus et inservientibus in dalmaticis admodum reverendo archipresbytero Terratii alioque reverendo sacerdote, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio absolvit. Sumptis vero apparamentis albi coloris, adoratione, hymno et thurificatione praemissis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo ligneo et in pixide argentea sub [106] clavi custoditum, quod debitis temporibus renovare et cum eodem solemnem fieri processionem asseruit reverendus archipresbyter. Lampas nocte dieque accensa ante idem Sacramentum manutinetur ab eodem archipresbytero; de cereis vero etiam pro decenti associatione ipsiusmet sanctissimi Sacramenti ad infirmos providetur a communitate et piorum eleaemosynis. Animae sub hac cura quae sacram communionem sumunt numerantur 300 circiter, in totum vero 450 et nullus fuit inconfessus in Paschate, quo tempore communicatis distribuuntur schedae. Opportuna extant pro honorifica associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos, scilicet baldachinum, umbella, parva pixis, thronus, quinque fanalia aliaque ad id attinentia et cum defferi contingit, convocatur per consueta signa populus et impartitae associantibus indulgentiae publicantur. Porro nonnullis utriusque sexus christifidelibus idem Sacramentum propriis manibus ministravit et [106v] reposito sacramento, ad thronum rediens piam pro celebratione missae praeparationem emisit. Sacerdotalibus indutus, praefatis in dalmaticis assistantibus, inter frequentes explosiones et tubarum clangores sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Gratias Deo optimo maximo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Inde rochetto et stola violacei coloris indutus, visitavit: olea sancta, in arcula ad hoc parata a cornu evangelii et in vasis stamneis sub clavi custodita, quae quot annis, veteribus combustis, a cathedrali Veronae recipiuntur. Sacrum fontem baptismalem, in calce ecclesiae a latere epistolae erectum, rastris ligneis septum sed minime sub clavi custoditum. Duo confessionalia, alterum stabile et alterum mobile, pro sacramentalibus confessionibus excipiendis. Altare maius, divo Petro Caelestino dicatum, ex ligno constructum cum portatili. Habet chorum cum [107] icone, in cuius apice haec

legitur inscriptio: “Deo optimo maximo. Hoc Caelestino Petro fuit aere piorum sancitum rursus, quod modo cernis opus anno Domini MDCCXX. Extra in apice arcus hoc erat millesimum 1594”. Hoc altare manuteneretur piorum eleemosynis et nullum assertum fuit extare missarum onus. Altare sanctae Tuscanae, ligneum cum portatili et icone, de ratione nobilis domini comitis Gasparis Bevilaqua Lazise, a quo et piorum eleemosynis manuteneretur et quibus etiam eleemosynis fuit restauratum. Extat legatum unius missae in feria sexta cuiuslibet hebdomadae praefatae nobilis familiae, cui satisfacit reverendus archipresbyter, pro quo dictus nobilis dominus comes Gaspar solvit annuatim ducatos quindecim. Insuper ex legato percipitur annuus redditus librarum 12 super campo in pertinentia Lemniaci, iacente in contrata de Cantono, modo possesso a reverendo domino Ioanne Gianella, qui solvit ducatos 12 et impenduntur in colendo festo dictae sanctae Tuscanae. Ad hoc altare habetur societas beatae Mariae Virginis a sanctissimo Rosario, quam assertum [107^v] fuit nulla possidere legata et ad nulla teneri onera missarum. Visitavit chorum et ibi a latere epistolae sacristiam et sacras suppellectiles ac vasa sacra, de quibus est sufficienter provisum. Vidit totam ecclesiam, divo Petro Caelestino dicatam, sugestum et coemeterium contiguum nec non domum parochialem. Quibus habitis factisque infrascriptis ordinationibus, ad antedictas suae mansionis aedes reversus est et prandium sumpsit. Ordinata. Parva pixis in sumitate cooperculi muniatur cruce – rastra quibus clauditur fons baptismalis muniantur sera et clavi ab archipresbytero custodienda – in sacristia construat labrum seu fons pro abluendis manibus sacerdotum celebrantium, cum suis manutergiis. Die antedicta 31 maii 1740 post prandium. Hora consueta doctrinae christianae per solita signa convocato populo, illustrissimus et reverendissimus praesul, eiusdem [108] sancti operis examen habiturus, ad dictam parochialem ecclesiam honorifica pompa concomitatus se contulit. Ecclesiam ingressus, servatis caeremoniis de more, ante altare maius genuflexus, pias preces Deo fudit. Tronum ascendit et diligenter in primis de ordine, cultu et frequentia huius tam neccessarii operis perquisivit, subinde per examen quomodo edoctus sit populus, pueros et puellas interrogando, de mysteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus cognovit, quos bene instructos invenit. Omne studium tamen et diligentiam in tam proficuo opere collocandam esse omnibus in Domino comendavit et enixe hortatus est. Pontificalibus autem indutus, pluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. In aedes prefatae suae mansionis reversus, quieti se tradidit et visitationem infrascripti publici oratorii illustrissimo suo visitationis vicario demandavit. Qui illustrissimus dominus visitationis vicarius demandatam sibi [108^v] visitationem impleturus, ad idem oratorium se contulit illudque visitavit, scilicet [a margine: Santi Filippo e Giacomo] publicum oratorium sub titulo Sanctorum Philippi et iacobi, cum unica publica porta super publicam viam infra limites parochialis ecclesiae Sancti Petri Celestini de Nichesola erectum, de ratione nobilis domini comitis Gasparis Bevilaqua Lazise, a quo de omnibus manuteneretur. In eodem oratorio unicum habetur altare ligneum cum portatili, quod visitavit et in eo celebratur missa ex devotione, cum nullum assertum fuerit extare legatum aut onus missarum. Retro altare vidit chorum qui inservit pro sacristia, ubi visitavit sacras suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missae. Quibus habitis factisque infrascriptis ordinationibus, ad aedes illustrissimi et reverendissimi praesulis se restituit. Ordinata. Mensa altaris fiat integre decenti forma lapidea et provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam; hoc vero interim altare ipsum sit suspensum donec restauretur et provideatur ut supra - [109] provideatur planeta coloris viridis, cum manipulo, stola, bursa et velo – ad usum sacerdotis celebrantis habeatur fons pro abluendis manibus, cum suis manutergiis – uti non liceat solario quo tegitur dictum oratorium, sed sit ab omnibus usibus liberum et immune. Porro illustrissimus et reverendissimus praesul, recitata una cum suis familiaribus tertia parte sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die mercurii primo mensis iunii 1740. Volens sacrum facere, illustrissimus et reverendissimus praesul, consuetis honoribus, ad dictam parochialem ecclesiam Sancti Petri Caelestini Nichesolae se contulit. Ante altare maius genuflexus, devotam emisit praeparationem sacerdotalibusque indutus, sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Plurimas Deo optimo maximo gratias egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Paterno vero suo amore aliquibus petentibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. [109^v] Subinde ad aedes suae mansionis reversus, quieti indulisit. Hoc interim illustrissimus dominus vicarius visitationis experstus est obstetrices, scilicet Catharinam viduam quondam Ioseph Ferrari, aetatis suae annorum 62 circiter et Angelam uxorem Antonii Balzan, aetatis suae annorum 54 circiter, quas idoneas et instructas invenit pro collatione sacramenti baptismatis in casu neccessitatis. A fide dignis testibus diligentes informationes sumpsit de vita et moribus ac diligentia in suo munere praestando reverendi archipresbyteri et de vita et moribus aliorum sacerdotum nec non an sint publica scandala ac publici peccatores et tam de reverendo archipresbytero quam de aliis sacerdotibus bonam attestationem habuit et nulla esse publica scandala nullosque publicos peccatores. Coram et cetera comparuit admodum reverendus Hieronymus Turella, sacerdos Insulae Scallarum veronensis

diaecesis aetatis suae annorum 60 circiter, rector archipresbyter nuncupatus huius parochialis ecclesiae Sancti Petri Caelestini de Nichesola, quam per concursum iuxta praescriptum [110] sacri Concilii tridentini obtinuit, cum bullis huius curiae episcopalis diei 11 aprilis 1725, quas ostendit; obtulit quoque libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum et status animarum; insuper praesentavit polliceas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri sub littera **M** repositas. Interrogatus de cappellano et populo, de utroque recte respondit et fuit dimissus. Comparuit reverendus dominus Xistus Girelli, simplex sacerdos de hac parochia et eiusdem cappellanus, aetatis suae annorum 48 circiter, qui cum deveneratione ostendit sua mandata, visa et eidem restituta. Quibus habitis, facta hora tarda, prandium sumpsit. Die antedicta prima iunii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, peracta iam sua pastoralis visitatione huius parochialis Nichesolae, ad eandem ecclesiam, illam clausurus, venit, quam ibi cum recitatione *De Profundis* de more clausit. Subinde, omnibus paratis pro suo itinere ad locum Terratii, plurimum cum gratiarum actione ab archipresbytero et [110^v] populo Nichesolae deveneratus, honorifice concomitatus ab equestri et pedestri rusticana militia cum tubis eiusdem loci nec non populo et praedicto reverendo archipresbytero ac etiam archipresbytero Terratii, ad dictum Terratii locum iter suum suscepit. Ad confinia perventus, recedente populo et militia Nichesolae, quos benedixit, obsequentissime cum laetitia receptus fuit a simili militia equestri et pedestri Terratii, cum tubis et tympanis ac multa explosione suam illustrissimam et reverendissimam dominationem salutante. Subinde processionaliter obvios habuit populum ac pueros et puellas pias laudes decantantes, a quibus omnibus devota laetitia prosecutus, ad aedes parochiales ductus fuit, in quibus receptus omni deveneratione, genuflexo populo sua impartita benedictione, ibi suam mansionem fixit et quieti se tradidit. Suae devenerationis et laetitiae laetabundus populus non solum pluribus frequentibusque explosionibus argumenta dedit, verum etiam, iam superventa nocte, multis artefactis ignibus hac [111] illac et per aera obstrepentibus, non parvo sumptu, suum obsequium et gaudium testatus est. Quibus fine facto, illustrissimus et reverendissimus praesul tertiam partem sanctissimi rosarii et litanias beatae Mariae Virginis cum suis familiaribus recitavit et incenatus pernoctavit.

[A margine TERRAZZO] Die iovis 2 mensis iunii 1740. Licet caelum plueret, volens illustrissimus et reverendissimus praesul hac mane solemnem suum habere ingressum in parochialem ecclesiam Sancti Pauli apostoli de Terratio, omnibus iam dispositis convocatoque populo, sub baldachino a quatuor scelectis viris gestato, honorifica pompa receptus fuit et, deosculata cruce in egressu domus parochialis ab admodum reverendo archipresbytero oblata, processionaliter ecclesiam ipsam petiit, in cuius ianua sistens populum aqua benedicta aspersit, aspergillo recepto a reverendo archipresbytero, a quo et thurificationis honorem recepit; subinde solemnem suum in dictam parochialem habuit ingressum, explosionibus, tubis tympanisque decoratus. Ante altare maius genuflexus, pias fudit preces; dum interim consueta [111^v] per clerum decantabantur, altare maius ascendit et, decantata titularis oratione, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato, confessione praemissa, publicatam impartitus est. Ad thronum a latere evangelii sibi paratum venit ubi, assistentibus et inservientibus in dalmaticis reverendo domino archipresbytero Nichesolae alioque sacerdote, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio contiguo absolvit. Sumptis vero apparamentis albi coloris, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo ligneo auro linito et in pixide argentea sub clavi bene et tute custoditum. Illud debitis temporibus renovare et cum eodem solemnem habere processionem die festo Corporis Christi asseruit reverendus archipresbyter. Lampas ante idem sanctissimum Sacramentum nocte dieque accensa manutinetur a reverendo archipresbytero; de cereis [112] vero provident massarii eiusdem societatis. Animae quae sacram communionem sumunt sunt sub hac cura 550, in totum 900, quarum nulla fuit inconfessa in Paschate, quo tempore communicatis distribuuntur schedae. Honorifice quando contingit defertur sanctissimum Sacramentum ad infirmos, convocato populo per consueta signa, quibus associantibus publicantur indulgentiae a summis pontificibus impartitae. Vidit propterea quinque fanalia, umbellam, baldachinum, thronum coeteraque ad id opportuna. Subinde, multo labore sed pari amore sanctissimum Eucharistiae sacramentum quampluribus utriusque sexus christifidelibus ministravit. Reposito autem sanctissimo Sacramento, ad thronum veniens devotam pro celebratione missae emisit praeparationem et, sacerdotalibus indutus, sacrosanctum missae sacrificium honorifica pompa peregit. Actis inde Deo optimo maximo debitis gratiis uniusque ex suis cappellanis audita missa, ad aedes parochiales se se [112^v] restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 2 iunii 1740 post prandium. Doctrinae christianae, cuius sancti operis exercitium maxime sibi cordi est, visitationem hac die statuit habere. Itaque, vocato per consueta signa populo, illustrissimus et reverendissimus praesul, honorifice concomitatus, in antedictam parochialem ecclesiam Sancti Pauli apostoli de Terratio descendit et, fuis ante altare maius genuflexus Altissimo precibus, in

throno sedens diligenter perquisivit de frequentia, ordine et cultu tanti operis; deinde ad examen venit et pueros ac puellas per varias interrogationes de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus expertus est, quos bene instructos cognovit. Omnibus vero tam sanctum opus plurimum in Domino comendavit et totis viribus in tam proficua vinea Domini elaborare enixe hortatus est, cum huiusmodi operarii maxima praemia a Deo optimo maximo sint relaturi. [113] Porro multo utriusque sexus populo Confirmationis sacramentum ministravit. Subinde ad aedes parochiales reversus, quieti se tradidit; nocte superventa, iterum populus suae laetitiae ac devenerationis signa dedit, tubis, tympanis, explosionibus, artefactis ignibus undique obstrepentibus suas acclamationes coniungens. Quibus confectis, pius praesul cum sua familia tertiam partem sanctissimi rosarii et litanias beatæ Mariae Virginis recitavit ac incoenatus pernoctavit. Die veneris 3 mensis iunii 1740. [A margine: Santa Croce] Illustrissimus dominus vicarius visitationis se contulit ad oratorium infrascriptum illudque visitavit, scilicet oratorium publicum in platea eiusdem loci Terratii infra limites parochialis praedictae, erectum pluribus ab hinc annis sub titulo Sanctae Crucis, de ratione confraternitatis in eo existentis, a qua manutinetur. Unicum habetur altare cum portatili, quod visitavit; in eo celebratur aliquando ex devotione, praecipue die festo inventionis sanctae Crucis, qui dies [113^v] solemniter colitur, cum missa cantata, vespers et expositione sacrae reliquiae de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi. Immo eodem die visitantes dictum oratorium fruuntur indulgentia plenaria, prout ex brevi apostolico ad septennium die 22 aprilis 1738 concesso. Confratres dictae confraternitatis, de cuius canonica institutione nullum oblatum fuit documentum, sunt numero viginti induentes cappas albi coloris, quibus induti inserviunt processionibus parochialis et solemnibus anni festis conveniunt in choro retro altare, pias preces recitaturi; tenentur quotannis celebrare facere in parochiali missas duodecim et deferre mortuos ad sepulturam, ex cessione a communitate facta fundi pro erectione – ut fuit assertum – dicti oratorii et annui redditus librarum viginti quatuor. Non extat sacristia neque apparamenta sacra, quae quando celebranda est missa deferuntur a sacristia parochialis ecclesiae. Quibus habitis et cetera. [114] [A margine: Sant'Anna] Subinde, sic requisitus, visitavit quamdam capellulam sub invocatione Sanctae Annae, infra limites parochialis ecclesiae Terratii praedicti, quam inspexit angustae formae et contiguam usibus profanis minimeque aptam ad cultum ecclesiae et, cum relatum fuerit aliquando ibi missam celebratam fuisse, id fieri posse omnino prohibuit; nullum enim constat de eiusdem cappellae documentum. Decretum. In suprascripta capella, sacristia et apparamentis destituta et ob eius angustiam minime ad usum celebrationis missae erecta, de cuius etiam canonica erectione non constat, nemini sit licitum sacrosanctum missae sacrificium imposterum sub quocumque praetextu peragere, in poenam suspensionis incurrenda, et ita et cetera, omni et cetera. His peractis, ad parochialem ecclesiam venit, in quam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, consuetis honoribus prosecutus, descenderat. Qui, fuis precibus emissaeque devota praeparatione, [114^v] sacerdotalibus indutus missam celebravit; qua absoluta, gratias Deo egit uniusque ex suis cappellanis missam audivit. Subinde suae visitationi incumbens, rochetto et stola violacea indutus, visitavit ut infra, sed prius, humillimis petitionibus sibi factis benigne annuens, pontificalibus indutus aliquibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Porro visitavit olea sancta, in arcula a latere evangelii altaris maioris ad hoc parata et vasculis stamneis sub sera et clavi custodita, quae singulis annis, veteribus combustis, a cathedrali Veronae recipiuntur. Sacrum fontem baptismalem, in calce ecclesiae erectum, rastris ligneis septum, bene custoditum. Duo confessionalia pro sacramentalibus confessionibus excipiendis. Altare maius, divo Paulo apostolo titulari ecclesiae dicatum, cum portatili, marmoreum in mensa in reliquis ligneum; manutinetur ex annuo redditu librarum 10 super [115] fundo livellato Antonio Valda et Andreae Girlanda et a societate sanctissimi Sacramenti ibi erecta piorum eleemosynis, quae societas habet annum redditum librarum 18, cum onere missarum decem. Retro altare vidit chorum, quem modo ornaturos sunt magnis tabulis pictis, acta divi Pauli representantibus et cura demandata fuit domino Perini pictori veronensi. Altare sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatili, de ratione communitatis dicti loci, manutentum vero piorum eleemosynis, in quo celebratur ex devotione, cum nullum extet missarum onus. Altare sancti Rocchi, pariter marmoreum cum portatili, rastris ligneis septum, de ratione nobilis familiae Riva, a qua manutinetur annuo redditu a fundis assignatis percepto, in quo celebratur ex devotione, nullo existente missarum onere. Altare sancti Caroli, stucchis ornatum cum portatili, de ratione communitatis praedicti loci, a qua non multis ab hinc annis fuit noviter aedificatum [115^v] et de omnibus manutinetur una cum piorum eleemosynis et in eo celebratur ex devotione. Altare sanctissimae Conceptionis beatæ Mariae Virginis, piorum eleemosynis non multo ab hinc tempore ex marmoribus constructum cum portatili, quod piorum quoque eleemosynis manutinetur, ubi nullum habetur missarum onus, sed tantum celebratur ex devotione. Altare beatæ Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, ex marmoribus confectum cum portatili et icone; manutinetur de omnibus a

societate eiusdem beatae Mariae Virginis ibi erecta, quae ex legatis annuatim percipit a domino Iacobo Bordone, ex legato Fattorello libras 28; a reverendo Spampato Spampati libras 20.10 ex legato Benugini; super quadam domo quartas novem tritici super medietate campi in Casale territorii patavini et habet onus celebrari faciendi quotannis missas sexdecim pro uno legato et missas decem pro altero legato, quibus satisfit ut in pollicea praesentata et in fine huius libri sub littera N reposita. Altare Animarum purgatorii, ex cocto et stuchis [116] elaboratum cum portatili, de ratione communitatis antedictae, a qua et piorum eleemosynis manuteneretur. In eodem altari celebratur ex devotione, cum nullum sit legatum missarum. Visitavit sacristiam adnexam choro a latere epistolae et ibi sacras suppellectiles et vasa sacra, de quibus est bene provisum. Iterum vidit chorum, qui est in aedificatione et ornandus unde quaque tabulis pictis in puro vulgo *a fresco*, manu – ut dictum fuit – domini Odoardi Perini pictoris veronensis. Vidit sugestum et totam ecclesiam, non consecratam, divo Paulo apostolo dicatam ac coemeterium contiguum. Quibus absolutis et factis infrascriptis ordinationibus, ad aedes parochiales se restituit et prandium sumpsit. Ordinata. Altare sancti Rocchi provideatur de portatili iuxta mensuram canonicam – portatilia altarium cooperiantur tela cerata – confessionalia muniantur asseribus seu portellis, non [116^v] solum a parte confessarii, sed etiam poenitentium, ut confessio libera haberi possit – construatür liber in sacristia servandus in quo quotidie celebrantes se se describant – fiat fovea ante ingressum coemeterii, ita ut arceatur additus et ingressus animalibus – ordinata in praehabitis visitationibus non adimpleta diligenter impleantur. Die antedicta 3 iunii 1740 post prandium. Supplicationibus sibi humiliter porrectis illustrissimus et reverendissimus praesul humanissime annuendo, aliquot utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Negotiis autem suae visitationi incumbens, in aedibus praefatis pro tribunali sedit, coram quo comparuit admodum reverendus dominus Xanctes Filippi, archipresbyter huius parochialis ecclesiae Sancti Pauli apostoli de Terratio et eiusdem vicarius foraneus, aetatis suae annorum 48 circiter, quam obtinuit per concursum iuxta praescriptum sacri Concilii tridentini, [117] cum bullis episcopalibus diei 3 octobris 1735, quas ostendit una cum mandato vicariae foraneae diei 21 novembris 1735, cum sibi electione ecclesiarum huius Terratii, Begosii, Maraticae et Nichesolae; obtulit quoque libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum et status animarum, qui inspecti restituti fuere nec non praesentavit polliceas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri sub littera N repositas. Interrogatus fuit de suo clero et populo et an publica vigeant scandala ac sub sua cura sint publici peccatores et recte de clero et populo respondit nullumque extare scandalum et publicum peccatorem asseruit. Dimissus, recessit. Comparuerunt reverendus dominus Ioannes Dominicus Travanelli, sacerdos feretranae diaecesis, munitus suis dimissorialibus ad beneplacitum die 25 aprilis 1729 datis, curatus huius parochialis cum mandato huius curiae episcopalis ad confessiones, ad annum die 8 mensis iulii 1739 confirmato; agit modo aetatis suae annum [117^v] 47 circiter. Reverendus dominus Spampatus Spampati, simplex sacerdos huius loci Terratii aetatis suae annorum 72 circiter. Qui, debita cum deveneratione, eorum mandata et requisita ostenderunt, quae visa iisdem restituta fuere. A fide dignis testibus diligentes informationes sumpsit de vita, moribus et diligentia in suo munere fungendo reverendi archipresbyteri nec non de vita et moribus aliorum sacerdotum et recte de omnibus fuit relatum. Comparuerunt quoque obstetrices, scilicet Francisca vidua quondam Francisci Zanetti et Cecilia uxor Pauli Regan, quae per examen habitum de conferendo sacramento baptismi in casu necessitatis aptae et idoneae repertae fuerunt. Quibus actis, suam absolvit visitationem. Die sabbathi 4 mensis iunii 1740. Statuta hac die pro eius accessu ad villam Maraticae, illius parochialis ecclesiae visitationem suam [118] pastorem habiturus, dum adhuc illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Terratii comoraretur, advenerunt reverendissimus dominus Nicolaus Pisetta, archipresbyter Sanctorum Faustini et Iovitae nec non archipresbyter sacrae congregationis Cleri intrinseci Veronae, iurisdictionem habentis in villa Maraticae, vulgari nomine *Marega* et admodum reverendus dominus Andreas Gambaroni archipresbyter Sancti Thomae apostoli primicerius, Donatus Antonius Brasavola archipresbyter Sancti Laurentii et reverendus dominus Dionysius Bentegodi rector Sanctae Margaritae quoque primicerius, omnes ad id ab eadem sacra congregatione electi et deputati, qui illustrissimam et reverendissimam dominationem suam devenerantes, suo et totius congregationis nomine filialis obsequii et grati animi pro suae visitationis pastoralis munere conferendo monumenta praestiterunt se seque ad eius iussa paratos obtulerunt, quibus benigne exceptis humanissime idem praesul respondit. Interim vero, omnibus opportune dispositis, in praefatam Terratii parochialem ecclesiam descendit et, audita unius ex suis cappellanis missa, cum recitatione [118^v] *De Profundis* huius parochialis Terratii pastorem suam visitationem clausit. Postea gratiarum actionibus et plurima deveneratione cumulat a reverendo archipresbytero, clero et populo dicti loco Terratii honoribusque prosecutus, iter suum Maraticam versus suscepit. A praefatis admodum reverendis deputatis sacrae congregationis et reverendo archipresbytero Terratii associatus concomitatusque honorifice a populo

et rusticana militia equestri et pedestri dicti loci Terratii, inter frequentes tympanorum et tubarum clangores et explosiones, iter habuit usque ad confinia, ubi devenerationis et amoris iterum argumentis praestitis, populus et militia praedicta, quibus genuflexis benedixit, recesserunt. Illico cum laetitia et pari honore receptus fuit a iam dictis dominis deputatis et militia equestri et pedestri, tympanis, tubis et explosionibus dominationem suam illustrissimam et reverendissimam salutante nec non a populo processionaliter cum pueris et puellis pias laudes devote decantantibus occurrente. A quibus omnibus deveneratione [119] prosecutus, perductus fuit ad domum nobilis domini Iulii Caesaris Zucchi comodioris habitationis gratia, in qua honorifice susceptus ibi suam mansionem fixit. Porro expletis obsequiis et urbanitatis officiis, facta hora tarda, prandium honorifice ac magnifice paratum sumpsit.

[A margine: MAREGA] Die antedicta 4 iunii 1740 post prandium. Cum vellet illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus solemnem suum habere ingressum in ecclesiam parochialem Sancti Georgii de Maratica, iurisdictionis sanctae congregationis Cleri intrinseci Veronae, omnibus opportune dispositis convocatoque populo per consueta signa, sub baldachino a quatuor confratribus capa alba indutis gestato receptus fuit et, genuflexus super stratis pulvinaribus, deosculata in egressu domus cruce a reverendissimo domino Nicolao Pisetta archipresbytero sacrae congregationis pluviali induto oblata, processionaliter honorifica pompa concomitatus, cantico *Benedictus* et cetera decantato, ecclesiam praefatam adivit. In eiusdem limine populum aqua benedicta aspersit, aspergillo oblato ab eodem [119^v] reverendissimo domino archipresbytero Pisetta, a quo et thurificationis honorem recepit. Solemniter inde, sonantibus organis aliisque honoribus praestitis, ecclesiam ipsam est ingressus. Ante altare maius genuflexus, pias preces fudit, dum interim consueta a clero decantarentur, quibus decantatis altare ascendit eoque deosculato titularisque oratione decantata, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam de suo mandato, confessione praemissa, publicatam impartitus est. Subinde sibi paratum thronum a latere epistolae ascendit et, assistentibus ac inservientibus in dalmaticis admodum reverendis archipresbyteris Englarrii et Terratii, pontificalibus violacei coloris indutus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio de more absolvit. Violaceis vero depositis sumptisque apparamentis albi coloris, praestitis debita adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et in pixide argentea servatum et sub clavi custoditum et, factis diligentibus [120] perquisitionibus a reverendo domino Antonio Moreti curato amovibili huius parochialis, habuit: animas sub hac cura quae sacram communionem suscipiunt numerari 312, in totum 480 et harum nullam fuisse in Paschate inconfessam, quo tempore tamen communicatis non distribuuntur schedae; lampadem nocte dieque ante sanctissimum Sacramentum ardere accensam sumptibus eiusdem reverendi curati, cuius est etiam providere de cereis et munda servare lintheamina, ex onere imposito a sacra congregatione, super annua coresponsione ab ipsa praestita; sanctissimum Sacramentum debitis temporibus renovari et opportuna extare pro honorifica delatione eiusdem ad infirmos, septem scilicet fanalia, baldachinum, umbellam, thronum aliaque ad id requisita, quae ostensa et visa fuere, in qua delatione manutinentur intortitia a consiliariis societatis sanctissimi Rosarii, qui regunt et gubernant societatem sanctissimi Sacramenti; fassus tamen est idem reverendus curatus omisisse publicare indulgentias sanctissimum Viaticum associantibus impartitas et die [120^v] praecedenti communioni dare signa ad uberiores convocationem populi, licet secus neccessitas non coegerit. Quibus actis, iterum adoratione, hymno et thurificatione praestitis, cum eodem sanctissimo Sacramento populo benedixit eoque reposito piisque precibus fuis, ad aedes suae mansionis se se restituit et, cum sua familia recitata tertia parte sanctissimi rosarii ac litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die dominico 5 mensis iunii 1740. Memorato militari honore et rusticana militia, tympanis, tubis explosionibusque praestitis, sub baldachino receptus et a praefatis admodum reverendis archipraesbyteris et rectore, deputatis longioribus indutis concomitatus, idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad praefatam parochialem Sancti Georgii venit. Quam sonantibus campanis organisque et in eius ingressu aqua benedicta recepta, qua se signavit populumque aspersit, aspergillo oblato a reverendo domino Antonio Moreti curato antedicto, cota et stola induto, ingressus est. Ante altare maius paulisper oravit et thronum ascendit, ubi piam [121] praeparationem emisit et sacerdotalibus apparamentis indutus fuit; missam inter praestitos honores celebravit et subinde quampluribus utriusque sexus christifidelibus paterno suo amore sacrosanctum Eucharistiae sacramentum ministravit. Gratias Deo optimo maximo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Porro rochetto et stola violacei coloris indutus, visitavit olea sancta, in arcula marmorea ad hoc constructa a latere epistolae, eo quia pars ab evangelio nimis humida sit et in vasculis argenteis et etiam stamneis tenta et sub clavi custodita, quae quot annis renovata, veteribus combustis, recipiuntur a cathedrali Veronae. Sacrum fontem baptismalem, in calce ecclesiae a latere epistolae erectum, cancellis seu rastris ligneis septum et sub clavi custoditum. Duo confessionalia pro sacramentalibus

christifidelium confessionibus excipiendis, in ecclesia exposita. Altare maius, ex marmoribus constructum cum portatili, divo Georgio titulari ecclesiae dicatum, quod [121^v] manutinetur a sacra congregatione et est mobilibus argenteis ditatum. Hic extat societas sanctissimi Sacramenti, quae regitur a consiliariis societatis sanctissimi Rosarii, sed nullos vel pauperos habere redditus nullaque onera missarum assertum fuit. Hoc altare est privilegiatum pro confratribus et consororibus confraternitatis doctrinae christianae feria quinta, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 9 octobris 1737. Altare sancti Francisci assisiensis, ligneum cum portatili, de ratione dominorum fratrum de Peccorariis de Lemniaco, a quibus de omnibus manutinetur; in eodem celebratur ex devotione, cum nullum extet missarum onus. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, ex marmoribus elaboratum cum portatili ac effigie eiusdem beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta, sub crystallis custodita; est honorifice et cum divitiis ornatum ac manutinetur a societate eiusdem beatae Mariae Virginis ibi erecta, quae multa habet onera missarum, scilicet ex variis legatis officia in anno 20, quae implent summam missarum 163 et [122] altera tria cum erogatione panis, videlicet unum missarum octo cum erogatione quartae 2 panis pro quondam Pelegrina Grigola et alterum missarum quinque pro quondam domino Francisco Ferroni ac alterum missarum sex pro quondam Ioanne dalla Vecchia cum erogatione quartarum trium panis in quoque officio. Insuper tenetur ex septem legatis ad missas quinquaginta quatuor in anno, quibus omnibus simul unitis, est numerus missarum ex dictis legatis 230, prout constat ex policea exhibita et sub littera O reposita. Redditus et altare praedictum gubernantur a tribus deputatis massariis aut consiliariis; altare ipsum est privilegiatum pro dictis confratribus et consororibus feria quarta cuiuslibet hebdomadae. Debita cum veneratione vidit et approbavit sacram reliquiam ex ossibus sanctae Eurosiae virginis et martyris, in reliquiaria theca ex auricalco repositam et sigillatam, litteris patentibus huius curiae diei 18 iunii 1738 munitam. Similiter sacram reliquiam de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in theca ex auricalco sub sigillo custoditam, in hac curia episcopali iam approbatam sub die 29 octobris 1729, prout [122^v] ex documento exhibito. Altare sancti Antonii patavini, non multis ab hinc annis ex marmoribus reaedificatum cum portatili; manutinetur a societate sanctissimi Rosarii vigore compositionis factae super differentiis inter eandem societatem et communitatem dicti loci, decreto illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Francisci Barbadici roboratae in sua visitatione die 17 octobris 1704 habita. In quo altari celebratur ex devotione, nullo extante missarum onere. Retro altare maius visitavit chorum, scamnis et sedilibus nuceis constructum et retro chorum sacristiam ac sacras suppellectiles ac vasa sacra, de quibus est bene provisum et omnia vidit munda et bene custodita. Prope eandem sacristiam vidit locum audientiae, ubi statis diebus sedet dominus vicarius a sacra congregatione deputatus pro causis civilibus ac quasi criminalibus. Vidit totam ecclesiam, quae ignoratur an sit consecrata nec ne, cum nullus dies consecrationis agatur; vidit organa et sugestum, in quo concionatur tempore [123] Quadragesimae per electum a sacra congregatione, mandato tamen et benedictione ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo acceptis. Vidit coemeterium contiguum et domum reverendi curati. Quibus absolutis, ad suae mansionis aedes se se restituit et prandium magnifice paratum sumpsit. Quae ordinanda in praefata visitatione invenit sunt videlicet. Ordinata. Communicatis in Paschate distribuantur schedae et subinde colligantur – dum contingit deferri sanctissimum Sacramentum ad infirmos, nisi secus necessitas coget, dentur signa in sero diei praecedentis et impartitas associantibus indulgentias publicari non praetermittatur – ianua parva tabernaculi intus vestiatur panno serico albo. Die antedicta 5 iunii 1740 post prandium. Fuit monitus populus et per consueta signa convocatus pro exercitio doctrinae christianae, quam visitaturus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, honorifice ut ante concomitatus, in antedictam parochialem ecclesiam decendit, [123^v] quam per consuetas ceremonias ingressus est et, ante altare maius genuflexus, pias preces fudit. Subinde thronum ascendit et diligenter de ordine, cultu et frequentia huiusmodi sancti operis perquisivit ac invenit iuxta regulas dirigi et gubernari; per varias vero interrogationes de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus populum, pueros ac puellas expertus est et sufficienter instructos cognovit. Cum vero maxime sibi sit cordi tam proficuum opus, illud plurimum in Domino omnibus comendavit et ad vigilantiam, frequentiam et laborem pro Christi amore animarumque salute enixe hortatus est. Subinde copioso utriusque sexus populo, multo labore sed pari amore, Confirmationis sacramentum ministravit. Defatigatus, ad aedes suae mansionis reversus est, quieti se dedit et, recitata cum sua familia tertia parte sanctissimi rosarii et litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. [124] Die lunae 6 mensis iunii 1740. Visitationem parochialis ecclesiae Sanctae Annae de Boschis pro hac die intimatam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus demandavit faciendam suo illustrissimo vicario visitationis, ad hoc cum omni opportuna facultate deputato et delegato et ita et cetera, omni et cetera. Porro idem illustrissimus et reverendissimus praesul, honorifice ut ante comitatus, ad dictam parochialem Sancti Georgi Maraticae venit; eam ingressus, consuetis servatis

coeremoniis, ante altare maius pie oravit. Postea humillimis supplicationibus sibi porrectis benigne annuendo, infrascriptum clericum habitum clericalem gestantem, aetate, scientia, natalibus, idoneitate caeterisque a iure requisitis suffultum, habilem et idoneum repertum, servatis servandis iuxta pontificale romanum prima clericali tonsura insignivit et ad quatuor minores ordines promovit videlicet Antonium Mariam filium Antonii Bozza de Maratica praedicta, habitum clericalem gestantem, [124^v] praesentibus admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum et caeremoniarum magistro ac reverendo domino Iacobo Riva sacerdote veronensi, familiari suae illustrissimae et reverendissimae dominationis testibus et cetera. Emissa autem pia praeparatione, sacerdotalibus indutus sacrosanctum missae sacrificium inter praestitos honores absolvit. Actis Altissimo gratiis, unius ex suis cappellanis missam audivit. Inde non parcendo labori aliquibus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Ad aedes suae mansionis restitutus, quieti indulsit. [*Richiamo a margine*: reliquum visitationis huius parochialis vide ad paginam 129 tergo] Dicta die 6 mensis iunii 1740. Illustrissimus dominus vicarius visitationis, demandatam sibique delegatam visitationem parochialis ecclesiae Sanctae Annae de Boschis acturus, summo mane consurgens, rheda vectus ad ipsam parochialem iter fecit. Eo pervantus, fuit honorifice a populo et reverendo curato ammovibili Ioanne Baptista de Benedictis aetatis suae [125] annorum 51 circiter receptus, aedes parochiales ingressus, paulisper quievit et talari veste indutus fuit.

[A margine: SANT'ANNA DE BOSCHI] Porro ad dictam parochialem ecclesiam venit quam, sonantibus campanis pluribusque explosionibus factis, ingressus est; aqua benedicta in eiusdem ingressu recepta a praefato reverendo curato cota et stola induto, illam cum aspergillo offerente, ante altare maius progressus, genuflexus in scamno ad hoc ornate parato, pias preces Deo fudit. Inde ad sacristiam se contulit, ubi alba stola et pluviali nigri coloris indutus fuit et processionaliter coemeterium petens, de more exequias pro defunctis peregit, quas in ecclesia clausit. Depositis vero sacris apparamentis nigri coloris albisque sumptis, adoratione praemissa, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo ligneo et pixide argentea intus inaurata servatum et sub clavi custoditum, quod debitis temporibus renovari asseruit idem reverendus curatus et [125^v] cum eodem solemnem fieri processionem die festo sanctissimi Corporis Christi; lampas accensa nocte dieque ante idem sanctissimum Sacramentum, prout et cerae, manutinentur piorum eleemosinis. Sub hac cura Sanctae Annae de Boschis animae quae sacram communionem sumunt sunt 550, in totum 900. In Paschate communicatis distribuuntur schedae et quatuor reperti fuere qui paschalis communionis praecepto non satisfecerunt et praecipue duae mulieres malae famae, quae ob id a sacra communione repulsae fuere. Quos omnes eidem reverendo curato mandavit serio monere debere ut, memores aeternae salutis, a depravata vita recedant et praeceptis ecclesiae obediant, sub indignatione onnipotentis Dei, quod si contumaces persistent, diligenter referat. Quando contingit defferri sanctissimum Sacramentum ad infirmos, opportunis signis convocatur populus et indulgentiae concessae associantibus publicantur; extant neccessaria pro honorifica associatione, scilicet: fanalia quinque, parva pixis, amygdala, baldachinum, [126] umbella caeteraque opportuna, quae ostensa visa fuere. His actis, quampluribus utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Reposito Sacramento et devota emmissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium peregit actisque Deo gratiis, pro doctrinae christianae exercitio incubuit. In primis de ordine, frequentia et cultu tam proficui operis diligenter perquisivit, quod iuxta regulas regi et gubernari cognovit. Postea variis interrogationibus circa misteria fidei aliaque neccessaria ad aeternam salutem promovendam pueros et puellas expertus est, quos bene instructos invenit. Cum vero tanti sit hoc sanctum opus, illud plurimum in Domino comendavit et ad solícite in eo laborandum omnes ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem enixe hortatus est. In demandata sibi visitatione insistens, visitavit olea sancta, in arcula marmorea ad hoc parata a [126^v] latere evangelii, in vasis stanneis et argenteis custodita sub sera et clavi, quae percipiuntur singulis annis a plebe Sancti Petri Portus, veteribus combustis. Fontem baptismalem, erectum in capella in calce ecclesiae a latere epistolae, sub rastris ligneis sera et clavi tute servatum. Confessionale in ecclesia expositum pro sacramentalibus poenitentium confessionibus excipiendis. Altare maius, divae Annae, ecclesiae titulari, dicatum, cum mensa marmorea et portatili, in reliquis ligneum et cum effigie in choro existente eiusdem sanctae Annae ex ligno sculpta, auro linita. Hoc altare manutinetur piorum eleemosinis. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, ex marmoribus exstructum cum portatili et effigie dictae beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta, quod manutinetur a societate eiusdem beatae Mariae Virginis piorum eleemosinis, cum societas ipsa nullos habeat redditus nullaque missarum onera. Altare sancti Antonii patavini, pariter maroreum cum portatili et effigie ex ligno sculpta eiusdem sancti Antonii, [127] manutentum ut supra piorum eleemosinis. In hac ecclesia celebrat quotidie reverendus dominus Michael Angelus Benedetti, cappellanus

conductus ab excellentissima familia de Donatis patritiis venetis, qui iuxta eorum piam intentionem missas applicat et ab eiusdem annuam stipem percipit. Visitavit chorum retro altare maius, sedilibus nuceis instructum et prope chorum a latere evangelii sacristiam et in ea sacras suppellectiles ac vasa sacra pro celebratione missae et sacris functionibus peragendis, de quibus sufficienter provisum esse cognovit. Vidit totam ecclesiam, non consecratam, sanctae Annae dicatam, alias sub cura Sancti Petri Portus Lemniaci, in parochialem vero erectam die 17 iulii 1690 publico instrumento, in hac curia episcopali existente in fillo collationum eiusdem anni 1690 sub numero 22, cum resservatione iuris patronatus elligendi et praesentandi idoneum curatum amovibilem nobilibus viris de Donatis patritiis venetis, qui nunc sunt nobiles viri Paulus et Aloysius quondam nobilis viri [127^v] Petri Donati, a quibus annua pensio praestatur eidem curato ducatorum quinquaginta pro eius sustentatione. Manutentio vero eiusdem ecclesiae, quoad materiale caeteraque neccessaria, sustinetur ab ipsis nobilibus viris et a pietate communitatis, prout in dicto erectionis instrumento nec non a piorum eleemosinis. Eadem ecclesia, curatus et caeteri sacerdotes et clerici subsunt vicariae foranae Minerbii. Vidit sugestum et coemeterium contiguum ac domum parochialem, a reverendo curato inhabitatam et ordinavit ut infra. Ordinata. Reverendus curatus moneat, ut supra, inconfessos in Paschate et si contumaces existant diligenter referat – fiat liber in sacristia servandus in quo quotidie sacerdotes celebrantes se describant – tabernaculum pro hebdomada maiori ut indecens suspendit et comparetur aliud decentis formae – ordinata praedecessorum instituta non adimpleta diligenter adimpleantur. [128] In aedes parochiales se recepit, coram quo comparuit reverendus dominus Ioannes Baptista Benedetti, sacerdos de Portu Lemniaci aetatis suae annorum 51 circiter, curatus amovibilis huius parochialis Sanctae Annae de Boschis, ad quam curam fuit amovibiliter electus et praesentatus die 14 februarii 1721 a nobili viro Petro Donati patritio veneto, qui hoc iure patronatus gaudet et mandatum pro eadem cura exercenda ostendit ultimo loco die 3 iulii 1739, an annum confirmato. Obtulit quoque libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum et mortuorum, non vero status animarum, quos vidit; nec non praesentavit polliceas iuxta edictum, in fine huius libri sub littera **P** repositas. Interrogatus de suo clero et populo et an adsint publici peccatores et publica scandala et quoad scandala retulit ut supra, in reliquis bene respondit. Ordinata. Construatur liber in quo annuatim describatur status animarum iuxta formam ritualis romani. [128^v] Comparuit reverendus dominus Michael Angelus de Benedictis, frater praedicti reverendi curati, sacerdos cappellanus huius ecclesiae et confessarius ab annis 16, cum mandato huius curiae episcopalis die 3 iulii 1739, ad annum confirmato; agit modo aetatis suae annum 40 circiter. Comparuit reverendus dominus Ioannes Baptista Carezzato, simplex sacerdos de Portu, cappellanus oratorii Sanctae Iustinae infra limites huius parochialis, aetatis suae annorum 41; qui omnes reverenter eorum mandata et requisita ostenderunt, quae visa eisdem restituta fuere. Diligentes informationes sumpsit a fide dignis de vita, moribus et diligentia in suo munere praestando reverendi curati nec non de vita et moribus aliorum sacerdotum et tam reverendi curati quam de aliis sacerdotibus recte relatum fuit. Cum caelum plueret, obstetrices sub hac cura inservientes audire non potuit, vero illas idoneas et bene instructas in sacramento baptismi in casu neccessitatis ministrando reverendus curatus asseruit. His absolutis, voluit ad suam illustrissimam et reverendissimam [129] dominationem se se conferre; itaque, gratiarum actionibus receptis, Maraticam versus iter direxit. In itinere vero visitavit [a margine: Santa Giustina] publicum oratorium sub invocatione Sanctae Iustinae de Boschis Donatis, infra limites parochialis ecclesiae Sanctae Annae de Boschis praedictae erectum, de ratione excellentissimae familiae de Donatis patritiae venetae, a qua de omnibus et a pietate ibi inhabitantium providetur et manutinetur. Unicum in eo vidit et visitavit altare ligneum cum portatili in quo, cum nulla sint onera et legata missarum, celebratur ex devotione, praecipue diebus festis ad commodum inhabitantium, modo per reverendum dominum Ioannem Baptista Carezzato, sacerdotem de Portu, cappellanium conductum pro eadem missa festiva a praedictis inhabitantibus, stipe per eos tradita annuatim ducatorum triginta. Retro altare vidit chorum qui inservit pro sacristia, ubi visitavit sacras suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missae et parum provisum esse invenit. [129^v] Ordinata. Fiat labrum seu fons pro abluendis manibus celebrantis, cum suis manutergiis – altare provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam et illud tela cerata cooperiatur – sperae et vitreae et lintae laudabiliter sarciantur – erigatur crux ferrea in culmine tecti eiusdem oratorii. [Foglio volante inserito a questo punto del volume] Nobile signora contessa pron. Le cognizioni che desidero dalla cancellaria vescovile intorno all'oratorio di Santa Giustina sono che, omissis, si trascrivano in visitazione ciò che sta registrato di questo oratorio, cominciando dal 500, che si trova sotto la pieve di Porto di Legnago e nel 1690 passò nella separazione di mia parrocchia dalla matrice di Porto sotto la mia parrocchia di Sant'Anna de Boschi, onde una o due cognizioni per cadaun secolo; di più dopo il 1690 ve ne sono tre o quattro tra le quali una che dice che la detta chiesa ovvero oratorio vien mantenuto ed offiziato dalla popolazione di Sant'Anna: quella di Giustinian e Morosini e del vescovo presente non importano. Questo è

quanto le raccomando e con tutta sollecitudine, avendo già segnati i libri a vista di quel giovine che si trova in cancellaria. Scusi del disturbo e con tutta stima me le professo: di vostra signoria illustrissima umilissimo devotissimo obligatissimo sacerdote Giacomo (Menia?) paroco. [*Sul retro*] Alla nobile signora la signora contessa Teresa Guarienti Verona – alla Rosa in casa Moroni.

Susceptum iter proseguendo, Maraticam pervenit, ubi cum illustrissimo et reverendissimo praesule prandium sumpsit.

[A margine: MAREGA] Die antedicta 6 iunii 1740 post prandium. Rogatus illustrissimus et reverendissimus antistes, consuetis honoribus comitatus, in ecclesiam praefatam Sancti Georgii Maraticae descendit et aliquibus utriusque sexus christifidelibus humiliter petentibus Confirmationis sacramentum ministravit. Ad aedes suae mansionis reversus, negotiis suae visitationis incumbens, pro tribunali sedit, coram quo comparuerunt: [130] reverendus dominus Antonius Moretti, huius parochiae sacerdos aetatis suae annorum 40 circiter et eiusdem parochialis ecclesiae Sancti Georgii Maraticae curatus ammovibilis, ad quam ammovibiliter electus et praesentatus fuit a sacra congregatione Cleri intrinseci Veronae, cuius rationis est et a qua manutinetur et gaudet iure patronatus nec non iurisdictione etiam in temporalibus dicti loci, titulo comitatus decorata, quapropter et vicarium ibi deputat ad sui beneplacitum cum facultate causarum civilium et quasi criminalium. Ostendit suae praesentationis mandatum episcopale ultimo loco pro hac cura die 15 iulii 1739, ad anno confirmato. Pro hac cura exercenda habet a dicta sacra congregatione domum habitationis et annuam stipem ducatorum 70 circiter. Ostendit quoque libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum et status animarum. Insuper praesentavit polliceas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri sub littera **O** repositas. [130^v] Interrogatus de populo et clero huius parochiae, de utroque bene retulit. Reverendus dominus Ioseph Franciscus Ferrari, aetatis suae annorum 37 circiter, sacerdos de Montecreto mutinensis diaecesis cum dimissorialibus suis die 18 novembris 1739, ad triennium concessis et cum mandato huius curiae episcopalis pro cura Vangaditiae ad sex menses die 24 novembris 1739 dato, modo cappellanus in hac parochiali ecclesia, pro qua obtinuit mandatum ad annum sub die 9 dicti mensis iunii. Venerabilis clericus, hodie prima clericali tonsura insignitus et ad quatuor minores ordines promotus, Antonius Maria Bozza filius Antonii, aetatis suae annorum 18 circiter. Qui multa cum deveneratione eorum mandata et requisita ostenderunt et ea visa eisdem restituta fuere. Comparuit Magdalena vidua quondam Dominici Fertini aetatis suae annorum 64 circiter, obstetrix, quae per examen habilis et idonea reperta fuit in ministratione [131] sacramenti baptismatis in casu neccessitatis. Demum diligentes informationes sumpsit a fide dignis testibus de vita et moribus ac diligentia in suo munere adimplendo reverendi curati nec non de vita et moribus reverendi cappellani et clerici et rectas habuit informationes. Quibus absolutis, recitata de more tertia parte sanctissimi rosarii cum sua familia ac litaniis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die martis 7 mensis iunii 1740. Summo mane illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus expergefactus, e lecto surgens suorum obsequii grati animi et filialis amoris argumenta a praefatis admodum reverendo archipresbytero, deputatis, suo et totius sacrae congregationis nomine habuit, quibus paterno amore respondit; deveneratus quoque a reverendo curato et populo, honorifica pompa concomitatus in dictam ecclesiam descendit, suam pastorem visitationem clausurus, quam de more cum recitatione de profundis clausit. Subinde processionaliter praecedente populo [131^v] pias laudes decantante, militia equestri et pedestri dicti loci cum explosionibus, tympanis et tubis sonantibusque campanis, rhedam ascendit et, a memoratis admodum reverendo archipresbytero deputatis associatus, iter suum ad parochialem ecclesiam Sancti Antonii Abbatis de Bevilaqua, iurisdictionis nobilium dominorum comitum de Bevilais veronensibus, direxit. Ad confinia perventus, prefatus populus et militia Maraticae, quibus benedixit, factis pluribus explosionibus revereant. Protinus cum deveneratione et laetitia receptus fuit a rusticana militia et equestri et pedestri Bevilaquae, dominationem suam illustrissimam et reverendissimam, tubis, tympanis et explosionibus saluante. Subinde occurrerunt nobiles domini comites filii nobilis domini comitis Caietani Bevila qua iudicantis cum aliis nobilibus viris et reverendus dominus Andreas Marini, rector praedictae parochialis ecclesiae, cum populo processionaliter disposito et pias laudes decantante, a quibus omnibus deveneratus honorificeque concomitatus ad palatium dicti nobilis comitis Caietani Bevilaqua iudicantis perductus fuit, a quo [132] humanissime honorificeque obsequenti laetoque animo receptus fuit, ubi suam habuit mansionem. Quietis paulisper indulget, dum interim opportuna pararentur pro suo solemni in ecclesiam habendo ingressu. Iterum admodum reverendi archipresbyteri a sacra congregatione deputati, qui hucusque suam illustrissimam et reverendissimam dominationem concomitati sunt, venerationis et grati animi monumenta dederunt, quibus peramanter respondit.

[A margine: BEVILAQUA] Omnibus iam opportune dispositis, sub baldachino a quatuor nobilibus viris gestato receptus et, deosculata cruce sibi a reverendo rectore pluviali induto in egressu palatii dictae suae

mansionis oblata, honorifice pompa populo et clero, canticum *Benedictus* et cetera decantante processionaliter praeunte, praefatam parochialem ecclesiam Sancti Antonii abbatis adivit; in eius limine aqua benedicta populum aspersit aspergillo a dicto reverendo rectore praestito, a quo et thurificationis honorem accepit. Ecclesiam subinde, campanis organisque sonantibus, tubis tympanisque [132] obstrepentibus inter frequentes explosiones et musicalium instrumentorum armoniacos concentus, solemner ingressus est. Ante altare maius genuflexus, pie oravit et interim a clero consuetis decantatis, illud postea ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit suamque episcopalem de suo mandato publicatam indulgentiam, confessione praemissa, impartitus est. Ad thronum sibi a latere evangelii paratum venit ubi, assistantibus et inservientibus duobus reverendis sacerdotibus in dalmaticis, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et exequias pro defunctis, musicalibus instrumentis et vocibus decantatas, in ecclesia et coemeterio absolvit. Quibus expletis, sumptis paramentis albi coloris, debita praemissa adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus auro linita decenter servatum et sub sera et [133] clavi custoditum, quod debitis temporibus renovari; cum eodem solemner fieri processionem die festo sanctissimi Corporis Christi ac expositiones honorifice haberi praedictus reverendus rector fassus est. Dixit quoque animas sub hac cura quae sacram communionem sumunt numerari 532, in totum 766 nullamque fuisse in Paschate inconfessam, licet schedas eo tempore communicatis non distribuat; lampadem nocte dieque accensam asseruit manuteneri piorum eleemosinis, ceras vero a communitate. Item testatus est sanctissimum Sacramentum, dum ad infirmos contingit deferri, honorifice associari, convocato populo per consueta signa publicatisque associantibus impartitis indulgentiis ac extare baldachinum, umbellam, fanalia, vexillum, amigdalam aliaque ad id opportuna, quae visa fuere. Inde populo cum sanctissimo Sacramento benedixit et quampluribus utriusque sexus christifidelibus propriis manibus paterno suo amore sanctissimum Sacramentum ministravit. [133'] Reposito sanctissimo Sacramento emissaque pia praeparatione, sacerdotalibus indutus inter musicales concentus aliosque honores sacrosanctum missae sacrificium peregit. Gratias Deo optimo maximo egit et unius ex suis cappellanis missam audivit. Quibus habitis, ad dictum suae mansionis palatium reversus est et prandium honorifica magnificentia ab ipso nobili domino comite Caietano Bevilaqua paratum sumpsit. Die antedicta 7 mensis iunii 1740 post prandium. Pro examine et visitatione doctrinae christianae habenda hac die indicta, illustrissimus et reverendissimus praesul, convocato populo per consueta signa, ad dictam parochialem ecclesiam honorifice concomitatus venit. Illam per solitas ceremonias ingressus est et, genuflexus ante altare maius fuis Deo precibus, in throno sedens, diligenter in primis perquisivit de ordine, cultu et frequentia tam pii operis et, cum cognoverit illud iuxta regulas bene gubernari, ad examen puerorum et puellarum venit plurimosque utriusque sexus per varias interrogationes de misteriis fidei [134] aliisque ad aeternam salutem spectantibus expertus est, quos bene instructos invenit. Cum vero hoc opus plurimum sibi cordi sit, plurimum quoque in Domino comendavit omnibus et singulis, hortando ut nulli parceant labori, larghissima praemia expectantes a summo Deo, omnium bonorum datore. Inde Confirmationis sacramentum pluribus utriusque sexus christifidelibus paterno suo amore ministravit. Ad aedes praedicti palatii recessus, de more cum sua familia tertia parte sanctissimi rosarii cum litiis beatae Mariae Virginis recitata, incoenatus pernoctavit. Die mercurii 8 mensis iunii 1740. Illustrissimus et reverendissimus praesul ad praefatam parochialem ecclesiam, ut ante honorifice concomitatus, se contulit et in primis facta adoratione ante sanctissimum Sacramentum devotaque emissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Inde humillimis sibi porrectis supplicationibus benigne annuendo, campanam in publico oratorio [134'] Sancti Petri infra limites huius parochialis ecclesiae erigendam, praescriptis ritibus et caeremoniis a pontificali romano traditis, benedixit et eidem sancto Petro sacravit. Hac benedictione absoluta, Deo optimo maximo gratias egit, unius ex suis cappellanis missam audivit et aliquibus utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Suae vero pastoralis visitationi incumbens, rochetto et stola violacea indutus, visitavit olea sancta, in arcua ad hoc parata a cornu evangelii altaris maioris, in vasis stanneis et argenteis sub clavi tute custodita, quae quotannis renovata, veteribus combustis, a cathedrali Veronae recipiuntur. Sacrum fontem baptismatis, in capellula a latere epistolae versus finem ecclesiae erectum, sub rastris ligneis, non vero sera et clavi munitis, servatum. Confessionalia pro excipiendis sacramentalibus poenitentium confessionibus. Altare maius, marmoreum, divo Antonio abbati ecclesiae titulari dicatum, cum portatili et icone in choro [135] existens ac cum tabernaculo marmoreo in quo custoditur sanctissimum Eucharistiae sacramentum. Hoc altare manuteneretur partim a communitate, partim ex redditibus perceptis a dadia huius loci et fabricae ecclesiae assignatis. Altare sancti Francisci marmoreum in mensa et gradibus, in reliquis ligneum; manuteneretur ex aliquibus propriis redditibus ex affectis et livellis dependentibus et piorum eleemosynis nec non a pietate nobilis domini comitis de Bevilais. Ibi antiquitus

societas sancti Rocchi cum indulgentia perpetua dixit reverendus rector, vi huius benefitii ex legato quondam nobilis domini comitis Hippoliti Bevilaqua, onus habere missarum trium in qualibet hebdomada nec non missarum 66 in anno, ut in eius pollicea, in fine huius libri sub littera **Q** reposita. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, marmoreum quoque in mensa et gradibus, in reliquis ligneum cum portatili et icone ac effigie eiusdem beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta. Hic habetur societas ipsius beatae Mariae Virginis [135^v] cum indulgentia perpetua pro confratribus, quae societas habet redditus et onera ut in pollicea praesentanda; hoc altare manutinetur ex propriis redditibus et ab eademmet societate. Vidit chorum et ibi organa ac a latere evangelii sacristiam, in qua visitavit sacras suppellectiles ac vasa sacra pro sacrificio missae et sacris functionibus habendis et bene esse provisam invenit. Vidit sugestum, in quo concionatur tempore Quadragesimae per electum a nobili domino comite de Bevilaqua, benedictione et mandato receptis ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo. Vidit totam ecclesiam, coemeterium contiguum et domum parochialem. An vero haec parochialis Sancti Antonii abbatis ecclesia sit consecrata nec ne ignoratur, cum nullum extet eiusdem consecrationis documentum vel memoria, licet in visitatione illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Francisci Barbadici die 15 septembris 1707 habita dicatur consecrata, ut creditur quia festum [136] agitur consecrationis in die 6 mensis octobris. Subest cum reverendo rectore, sacerdotibus et clericis vicariae foranae Minerbii. Quibus absolutis factisque infrascriptis ordinationibus, ad aedes praedicti palatii se se restituit et paratum prandium sumpsit. Ordinata. Communicatis tempore paschali distribuuntur schedae et subinde colligantur – portatilia altarium maioris et sancti Francisci provideantur tela cerata qua cooperiantur – rastra lignea quibus fons baptismalis clauditur provideantur de sera et clavi paenes reverendum rectorem servanda – duae patenae posteriori in parte saltem argento dealbentur – construatur liber in sacristia servandus in quo celebrantes se se describant – ordinata predecessorum antistitem nondum adimpleta diligenter adimpleantur. [136^v] Die antedicta 8 mensis iunii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus pluribus utriusque sexus christifidelibus confluentibus paterno suo amore Confirmationis sacramentum ministravit. [A margine: Sant’Antonio di Padova] Subinde visitavit publicum oratorium sub invocatione Sancti Antonii patavini, de ratione nobilium comitum de Bevilais, prope eorum palatium erectum infra limites praedictae parochialis ecclesiae Sancti Antonii abbatis Bevilais. Fuit a fundamentis constructum forma octangulare a pietate quondam nobilis domini comitis Ioannis Dionysii de Bevilais anno circiter 1694, a quo suo testamento fuit quoque dotatum, vel dotari iussum. Manutinetur decore a pietate nobilis domini comitis Caietani Bevilaqua, una cum altari, quod unicum ex marmoribus elaboratum cum portatili existit et in eodem quotidie celebratur ex obligatione, quam adimplet reverendus dominus Antonius Bettini, sacerdos de Sancta Anna de Boschis annorum 67. Visitavit sacristiam et sacras suppellectiles, de quibus honorifice est provisum et omnia [137] perpolite sunt tenta a laudabili pietate nobilis domini comitis Caietani. Oratorium vero Sanctorum Petri et Pauli delegavit visitandum suo illustrissimo domino vicario visitationis qui, sibi comissa adimplendo, ad idem oratorium se contulit illudque visitavit, scilicet: [a margine: Santi Pietro e Paolo] publicum oratorium seu simplicem ecclesiam Sanctorum Petri et Pauli infra limites parochialis ecclesiae Sancti Antonii abbatis Bevilais. Fertur fuisse antiquam parochialem; modo est simplex beneficium de iure patronatus nobilium dominorum comitum de Bevilais ad electionem et praesentationem maioris natu familiae, institutionis vero illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi. In praesentiarum est rector reverendus Ioannes Baptista Pescetti, sacerdos de Leonico vicentinae diaecesis annorum 65 circiter, qui onus habet ibi celebrandi singulis diebus dominicis et sabbathis cum applicatione nec non caeteris diebus festis quoad localitatem, libera tamen applicatione et percipit pro sua provisione minalia triginta sex tritici, plaustra [137^v] duo uvarum, libras centum denariorum, lignamina vulgo *pali* 400, singulis annis praestita ab ipsis nobilibus comitibus de Bevilais; insuper inhabitat domum contiguum ubi residet, fruitur hortu seu broilo eiusque fructibus. In ipsa ecclesia tria vidit et visitavit altaria, scilicet: altare maius ligneum cum portatili, sanctis apostolis Petro et Paulo dicatum cum eorumdem icone, manutentum ab ipsis nobilibus dominis comitibus et piorum eleemosinis. Altare beatae Mariae Virginis, marmoreum in mensa in reliquis ligneum cum portatili, ut supra manutentum, ubi est societas eiusdem beatae Mariae Virginis, quae paucos habet redditus et vi legatorum celebrare facit singulis annis missas viginti sex et alias ex devotione. Altare sanctae Luciae, ligneum cum portatili et icone rappresentante beatam Mariam Virginem et sanctos Sebastianum et Rocchum, cum effigie vero sanctae Luciae ex ligno sculpta. Manutinetur ut ante et in eo fit sacrum ex devotione piorum fidelium. Retro altare maius vidit chorum, qui inservit [138] pro sacristia, ubi visitavit sacras suppellectiles et vasa sacra, de quibus sufficienter esse provisum invenit, quae prout tota ecclesia manutinetur a memoratis nobilibus dominis comitibus de Bevilais. Ordinavit vero ut sequitur, videlicet: Ordinata. Altaria maius et beatae Mariae Virginis provideantur de novis portatilibus iuxta mensuram

canonicam et eadem cooperiantur tela cerata; interim vero, cum ex fractione sepulcri sacras reliquia continentis sint execrata, altaria ipsa sint suspensa, donec ut supra provideantur – pradella seu suppedaneum altaris maioris laudabiliter sarciatur – patena posteriori in parte vel auro liniatur vel saltem argento dealbetur – in sacristia fiat labrum pro abluendis manibus celebrantis, cum suo manutergio – reparetur et laudabiliter sarciatur tectum, ne pluat; in culmine vero eiusdem tecti erigatur crux ferrea - [138^v] ordinata praedecessorum antistitum non executa fideliter executioni demandentur. Quibus habitis, se restituit ad aedes praedicti palatii, in quibus illustrissimus et reverendissimus praesul, negotiis suae visitationis incumbens, pro tribunali sedit. Coram quo comparuit admodum reverendus dominus Andreas de Marinis, sacerdos coloniensis aetatis annorum 46 circiter, rector huius parochialis ecclesiae Sancti Antonii abbatis Bevilaquae, iurisdictionis nobilium dominorum comitum de Bevilais, cum iure patronatus maiori natu eiusdem familiae, ad dictam parochialem ecclesiam rectorem eligendi et praesentandi, ad quam idem reverendus dominus Andreas Marini electus et praesentatus fuit a nobili domino comite Hernesto Bevilaqua, institutus vero ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo cum suis bullis diei 2 decembris 1721, quas ostendit nec non libros parochiales matrimoniorum, baptizatorum et mortuorum ac status animarum. Insuper praesentavit polliceas iuxta edictum visitationis, in fine huius libri sub littera **Q** repositas. Interrogatus de sacerdotibus huius parochialis et populo et an sint publici peccatores ac publica scandala, [139^v] de sacerdotibus et populo recte respondit et nullum – quod sciat – esse sub hac sua cura publicum peccatorem aut scandalum; dimissus recessit. Comparuit reverendus dominus Antonius Bettini, sacerdos de Sancta Anna de Boschis aetatis suae annorum 67 circiter, cappellanus oratorii Sancti Antonii patavini et confessarius cum mandato episcopali pro hac cura die 22 iulii 1739, ad annum confirmato; qui cum deveneratione obtulit sua mandata et requisita et eadem visa ipsi restituta fuere. Comparuit Pascha uxor Paschalis Girardi aetatis suae annorum 44 obstetrix, quae per examen habilis et idonea reperta fuit in ministratione sacramenti baptismi in casu necessitatis. Sumpsit demum diligentes informationes de vita, moribus et diligentia in suo munere praestando reverendi domini rectoris et de vita et moribus aliorum sacerdotum et rectas habuit informationes a fide dignis de reverendo rectore nec non de aliis sacerdotibus. Quibus absolutis, illustrissimus et reverendissimus praesul quieti se dedit et pernoctavit. [139^v] Die iovis 9 mensis iulii 1740. Summo mane prout consuevit de lecto surgens, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et cetera ad iter Lemniacum faciendum sanctimonialium Sancti Bartholomaei dicti loci suam pastorem visitationem hac die incoaturus se se paravit. Itaque, nobilis dominus comes Caietanus Bevilaqua antedictus eum, quem assiduo servitio honorificaque hospitalitate erga suam illustrissimam et reverendissimam dominationem gratitudinis, amoris atque obsequii pluribus ab hinc annis constanter praestiti patefecit disertis verbis multaque deveneratione in eiusdem discessu testatum voluit; cui illustrissimus et reverendissimus praesul benevolo animo humanissime correspondit et, palatio suae mansionis relicto, honorifice concomitatus in dictam parochialem ecclesiam Sancti Antonii abbatis descendit ubi, de more eiusdem suam pastorem visitationem cum recitatione *De Profundis* clausit. Deveneratus vero a nobilibus viris, populo, rectore et clero concomitatusque ab eiusdem loci rusticana militia equestri et pedestri nec non associatus a nobilibus dominis comitibus [140^v] filiis praefati nobilis domini comitis Caietani aliisque nobilibus viris et a reverendo rectore, iter suum arripuit. Minerbium perventus, ab eiusdem parochialis archipresbytero, clero et populo, sonantibus campanis et multa explosione, plurimum deveneratus fuit. Praefati vero nobiles viri et reverendus rector Bevilaquae, reiterato eorum obsequio, recesserunt. Porro non solum antedicto concomitatu verum etiam a militia equestri ab excellentissimo domino providore Lemniaci obviam missa honoratus, iter suum prosecutus est. Lemniacum appropinquans, tormentis bellicis a fortilitio explosis salutatus fuit; portas ingrediens, consuetis militaribus honoribus deveneratus fuit et, receptus ab admodum reverendo domino Francisco Gaggioncelli archipresbytero Sancti Petri Portus cum suo clero humili obsequio occurrente, ad eandem parochialem Sancti Petri Portus ductus fuit, ubi suam fixit mansionem. Illico suam illustrissimam et reverendissimam dominationem convenerunt tres domini syndici, quatuor domini deputati communitatis Lemniaci, tres domini protectores huius venerabilis monasterii Sancti Bartholomaei et eiusdem admodum reverendus dominus provicarius [140^v] nec non admodum reverendus archipresbyter Sancti Martini, qui omnes eorum devenerationis humiliter et honorifice argumenta dedere, quos humanissimus praesul benigne recepitisque paterno amore respondit. His autem aliisque devotionis et urbanitatis officiis hinc inde habitis opportunisque interim dispositis a praefatis omnibus (tribus dominis syndicis exceptis, qui eorum functo officio recesserunt) nec non a confessario ordinario, cappellanis pluribusque aliis sacerdotibus honorifica pompa concomitatus, pedester ad ecclesiam sanctimonialium venerabilis monasterii Sancti Bartholomaei praedicti se contulit.

[A margine: Monasterio di San Bortolamio di Legnago] In statuto loco, non procul ab ecclesia sub baldachino a quatuor dominis deputatis gestato exceptus fuit et, super stratis pulvinaribus genuflexus, porrectam sibi crucem a reverendo domino confessario ordinario pluviali induto, deosculatus est. Inde processionaliter, consuetis cantico et precibus decantatis, ecclesiam petiit, ante cuius ingressum in eiusdem limine sistens, aqua benedicta [141] populum aspersit aspergillo ab eodem confessario ordinario oblato, a quo et thurificationis honorem recepit. Sonantibus vero organis inter musicales concentus, ecclesiam ipsam solemniter ingreditur. Ante sanctissimum Sacramentum genuflexus, pias preces fudit et, decantatis interim consuetis, altare ascendit, orationem titularis ecclesiae recitavit, monialibus et populo benedixit ac omnibus adstantibus suam episcopalem indulgentiam de suo mandato publicatam, confessione praemissa, impartitus est. Ad thronum sibi paratum venit ubi, duobus reverendis cappellanis in dalmaticis assistentibus et inservientibus, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et exequias pro defunctis de more absolvit. Violaceis dimissis sumptisque albis apparamentis, devota praemissa adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare sancti Bartholomaei in tabernaculo marmoreo et pixide argentea custoditum, decore et tute sub clavi tentum, quod debitis temporibus [141^v] renovatur et, dum illud contingit ad infirmas moniales defferri, honorifice associatur, prout decet; quapropter extant opportuna ad id parata. Lampas nocte dieque ante sanctissimum Sacramentum accensa, cerae et caetera omnia manutinentur a venerabili monasterio et sanctimonialibus praedictis; sanctimoniales quae choro intersunt numerantur 28, conversae sunt septem et educandae duodecim, quibus paterno suo amore ad fenestellam sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Iterum praemissis adoratione, thurificatione et hymno, ab eisdem monialibus musicalibus notis decantato, cum eodem sanctissimo Sacramento populo benedixit. Quo reposito, piam pro celebratione missae praeparationem emisit et, sacerdotalibus indutus, honorifica et devota pompa sacrosanctum missae sacrificium peregit. In persolvendis Deo optimo maximo gratiis immoratus est et unius ex suis cappellanis missam audivit. Ad collocutorium dicti venerabilis monasterii se contulit, [142] ubi ab admodum reverenda matre abbatissa et reverenda matre priorissa deveneratus fuit, quibus benedixit et cum eisdem aliqua verba fecit, maxime de sua visitatione et, iam properata hora, ad praedictas aedes parochiales Sancti Petri Portus se se restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 9 mensis iunii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus praesul, personali examini sanctimonialium antedicti venerabilis monasterii Sancti Bartholomaei Lemniaci vacaturus, illuc honorifice concomitatus se contulit; et ingressa ecclesia per consuetas caeremonias, paulisper ante sanctissimum Sacramentum oravit. Subinde se se recepit in collocutorio et ad crates eiusdem collocutorii sanctimonialibus coram se vocatis singulariter singulas paterna sua charitate interrogavit de monastica disciplina de observantia regularum, de moribus, de vita, de regimine caeterisque opportunis ad recte sancteque instituendam et ducendam monasticam vitam ad aeterni Dei gloriam, animarum salutem incrementumque virtutum. In quo examine reliquum totum consumptum est [142^v] huius diei tempus et, facta iam hora tarda, caeteras examinandas moniales ad aliam horam distulit et ad suae mansionis aedes reversus est recitatisque de more tertia parte sanctissimi rosarii et litiis beatae Mariae Virginis cum suis familiaribus, incoenatus pernoctavit. Die veneris 10 mensis iunii 1740. Illustrissimus et reverendissimus dominus praesul ad praefatam monialium sancti Bartholomaei ecclesiam honorifice ut ante concomitatus se contulit; illam per consuetas caeremonias ingressus est et, adorato sanctissimo Sacramento, in devota missae praeparatione se detinuit sacerdotalibusque indutus, sacrosanctum missae sacrificium inter musicales ipsarum monialium concentus absolvit. Deo optimo maximo gratias egit et, pontificalibus indutus, aliquibus sanctimonialibus et educandis, ad fenestellam communionis, Confirmationis sacramentum ministravit. Inde rochetto et violacea stola indutus, visitavit: altare sancti Bartholomaei titularis ecclesiae, marmoreum cum portatili et icone, ubi in tabernaculo [143] marmoreo custoditur sanctissimum Eucharistiae sacramentum; extat fenestra crate ferrea inaurata munita, praebens aspectum in idem altare pro adoratione sanctissimi Sacramenti sanctimonialibus in choro interiori existentibus. Hoc altare est perpolite tentum et honorifice provisum, sumptibus venerabilis monasterii. A latere epistolae eiusdem altaris vidit et visitavit rotam et a latere evangelii fenestellam seu ostiolum ad usum communionis. Altare beatae Mariae Virginis, pariter marmoreum cum portatili et icone, a sanctimonialibus manutentum et decore provisum et tentum. Ibi vidit sacram reliquam sancti Felicis martyris, in reliquiario ligneo inaurato crystallo anteriori in parte munito repositam, clausam et sigillatam, quam uti autenticam recognovit et approbavit. In hoc altari ex devotione sanctimonialium celebratur qualibet feria sexta. Cappellani et officiaturae missarum in hac ecclesia sunt ut in pollicea exhibita, scilicet: [143^v] duae cappellaniae seu officiaturae Facini quotidianae et perpetuae, cum capitali pro unaquaque ducatorum 2200, quod capitale investitum in ratione pro centenario reddit annuatim fructum ducatorum 110 pro qualibet officiatura, quarum cappellani sunt reverendus dominus Antonius Casari et reverendus dominus Marcus

Lanzani et percipiunt utrique pro dicto onere missarum libras mille centum sexdecim. Habetur alia officitura Bonetti, cum assignatione capitalis ducatorum 2000, ut supra investiti, quod dat redditum annuatim ducatorum 100, cuius officiturae cappellanus est reverendus dominus Horatius Cazzanigo, cum onere missae quotidianae, pro qua percipit singulis annis libras quatuorcentum nonaginta sex. Insuper qualibet sexta feria – ut supra dictum fuit – sanctimoniales celebrare faciunt pro animabus earum consoriorum defunctorum ex devotione, per reverendum dominum Hieronymum Canatto, tradita annua stipe librarum septuaginta duarum. Visitavit sacristiam angustae formae, bene tentam, [144] sed vasa sacra et sacrae suppellectiles, maxime preciosiores, intus in monasterio a sanctimonialibus custodiuntur et, quando opus est, a sacristana ad hoc officium deputata praebentur; caeterum et altaria et ecclesia sunt perpolite tenta et sacris suppellectilibus etiam preciosis et ex solido argento comparatis abundanter et decore provisae, sumptibus ipsarum monialium, quae omnia manutinent. Quibus habitis, collocutorium ingressus est et coram se ad crates, pro conficiendo personali monialium examine incepto et non confecto, vocatis reliquis monialibus a choro non examinatis, illas paterne interrogavit et audivit, ut cognosceret quaenam sit regularum et monasticae vitae observantia, qualis virtutum cultus vigeat et quale gubernium. Quibus auditis et facta hora tarda, ad dictas suae mansionis aedes in parochiali Sancti Petri Lemniaci se se restituit et prandium sumpsit. A prandio parumper defatigatus quieti indulsit et, nocte superventa, recitata tertia parte sanctissimi rosarii [144^v] et litanis beatae Mariae Virginis cum suis familiaribus de more, incoenatus pernoctavit. Die sabbati quattuor Tempora 11 mensis Iunii 1740. Volens illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus hac mane pontificalia habere in praefata monialium Sancti Bartholomaei ecclesia, pro promotione infrascriptorum clericorum ad sacrum subdiaconatus ordinem omnibus recte dispositis, ad ecclesiam ipsam honorifice ut supra comitatus venit; ante sanctissimum Sacramentum oravit. Inde thronum ascendit, ubi devotam pro sacro faciendo emisit praeparationem et, pontificalibus indutus fuit et inter sanctimonialium musicales concentus, sacrum fecit et inter missarum solemnias consuetis adhibitis caeremoniis, omnibus servatis ... a rituali romano traditis et praescriptis ... debita constitutos ... habiles et idoneos repertos ... ordinem promovit. Ad subdiaconatus Iacobum Bele filium quondam Valerii de Sancto Martino Lemniaci [145] ad titulum officiturae Salico in parochiali Sancti Martini praedicti; Augustinum Luciulli filium quondam Pellegrini de Sancto Martino Lemniaci ad titulum sui patrimonii; Nicolaum Saltarini de terra Badae iurisdictionis Vangaditiensis nullius diaecesis ad titulum sui patrimonii et cum dimissorialibus suis diei 9 iunii 1740. Praesentibus admodum reverendo Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum Veronae, caeremoniarum magistro et reverendo domino Iacobo Riva, familiari dominationis suae illustrissimae et reverendissimae testibus. Missa et ordinatione absolutis, in debitis Deo optimo maximo gratis agendis immoratus est; inde facta adoratione sanctissimi Sacramenti, ad collocutorium se contulit, moniales conversas nondum exeminatas auditurus. Illas itaque ad crates vocatas et coram se constitutas singulariter ut ante examinavit et paterne audivit, quibus auditis personalem sanctimonialium suam pastorem visitationem absolvit et prandium sumpturus ad praefatas aedes parochialis Sancti Petri Portus se restituit, intimata hodie a prandio sua visitatione monasterii et clausurae. [145^v] Die antedicta 11 iunii 1740 post prandium. Statuta fuit haec dies a prandio pro visitatione clausurae et monasterii Sancti Bartholomaei praedicti, quod ex publicis documentis magnificae communitatis Lemniaci a libro consiliorum anni 1579 sub die 7 aprilis in carta 259 et a libro registorum in carta 41 et 44 desumptis constat, bellis dirutum et destructum, ab ipsa communitate reaedificatum fuisse in domo et loco appellato *il Folo*, de ratione ipsius communitatis, prout antiquitus existebat cum dotatione eidem monasterio ab ipsa communitate assignata, camporum quinquaginta terrae arrativae cum arboribus et vitibus in villa Vangaditiae extra Leniacum a corpore possessionis nuncupatae *la Zocha*, incipiendo a finibus vulgo *della Salgaria di (Sfagredi?)* ad dictum monasterii bonum regimen quiaedam capitula per dictam communitatem constituta fuere cum omnimoda subiectione eiusdem monasterii gubernio illustrissimi et reverendissimi antistitis Veronae et eiusdem vicarii, quae die 26 aprilis 1596 laudata et approbata fuere [146] ab illustrissimo et reverendissimo domino Alberto Valerio episcopo famagustano, perpetuo episcopatus Veronae coadiutore. Pars vero praedictae communitatis pro reaedificatione et dotatione ut supra memorati monasterii, confirmata et approbata fuit a serenissimo principe cum ducalibus serenissimi ducis Venetiarum Nicolai de Ponte diei 7 decembris 1581, quae omnia latius legi possunt in documentis exhibitis et in fine huius libri sub littera **R** repositis. Quare illustrissimus et reverendissimus dominus praesul ad dictum monasterium honorifice concomitatus se contulit et, facta in ecclesia adoratione sanctissimi Sacramenti, in primis visitavit moenia exteriora quibus monasterium cingitur, collocutoria, crates et rotas. Subinde, secum sumptis suo illustrissimo domino vicario visitationis caeremoniarum magistro, me procancellario, confessario ordinario aliisque paucis ibi inservientibus, septa monasterii ingressus est. Per consuetam portam ingressus, habuit omnes sanctimoniales genuflexas ac

velatas, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes [146^v] et humillime excipientes, quibus benedixit et ab abbatissa et priorissa associatus, caeteris praeceuntibus, ecclesiam interiorem adivit, ubi pias preces Deo fudit et subinde illam visitavit nec non rotam et fenestellam seu ostiolum ad usum communionis, nimis angustae et incomodae formae. Visitavit oleum infirmorum, in arcula ad hoc parata decenter servatum. Debita veneratione vidit et approbavit sacram reliquiam de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in theca argentea repositam et clausam, in curia episcopali hac sub die 28 ianuarii 1739 recognitam. Vidit vasa sacra et apparamenta omnia tum ad sacrum faciendum aliasque sacras functiones peragendas, tum ad ornatum ecclesiae, quae cognovit decore tenta et abunde ac cum divitiis parata. Visitavit locum a confessionibus apud sacristiam cum rota, quem nimis ... et ineptum inspexit. Visitavit refectorium et coquinam, capitulum, quod inservit etiam pro laboratorio, ubi vidit capsam [147] depositi et alia loca inferiora. Ad loca superiora ascendens, visitavit dormitoria, celas et loca pro educandis, novitiis et monialibus conversis, chorum superiorem, lodiam, campanile, horea caeteraque loca superora. Ad inferiora descendens, visitavit areas, hortos et muros clausurae, celas vinarias, aromatariam bene tentam et provisam et caeteraque alia loca inferiora; demum tria collocutoria et ibi rotas et crates, quorum unum inservit pro sacristia, ubi traditae fuere polliceae, in fine huius libri sub littera **R** repositae. Quibus absolutis et factis infrascriptis ordinationibus italico sermone exaratis, sanctimonialibus cum deveneratione gratias agentibus benedixit et monasterium reliquit. Iterum, visitata prius gastaldionis domo, ad ecclesiam eiusdem monasterii venit, ubi cum recitatione *De Profundis* suam pastorem huius ecclesiae sanctimonialium et monasterii visitationem de more [147^v] clausit et ad suae praedictae mansionis aedes se restituit et pernoctavit. Ordinata. Giovanni Bragadino, per la Dio grazia e della santa sede apostolica vescovo di Verona, conte et cetera, prelato domestico et assistente et cetera, alle dilette nostre nel Signore la molto reverenda madre abbadessa e reverende monache del monastero di San Bortolamio di Legnago di questa nostra diocese salute nel Signore. Con sodisfazione dell'animo nostro trovato abbiamo nella visita pastorale di codesto venerabile monastero che, grazie a Dio, coltivasi in esso lo spirito di divozione, l'osservanza della propria regola e le cristiane e religiose virtù; pure, a maggior vantaggio spirituale e temporale del monastero medesimo, stimiamo neccessario di ordinare l'infrascripte cose da pontualmente eseguirsi ed osservarsi, cioè: veduto assai incomodo ed incompetente il luogo delle confessioni annesso alla sacristia, ordiniamo che si otturi il fenestrino e ruota, dilatando l'angusta sacristia per tutto quel spacio et aprendo a comodo [148] della medesima una porta sulla pubblica strada. Il confessorio poi ordiniamo che si costruisca nella camera oscura contigua alla panataria nella debita maniera, sicura e propria, dimezzando tal stanza et aprendo una porta sulla pubblica strada ad uso del confessore et otturando la ruota e la finestra che dalla sudetta stanza riguarda nel parlatorio nuovo, nel quale permettiamo che aprir possano altra strada colle debite formalità in sito opportuno, dichiarando a tal effetto la predetta stanza in quella parte che servir deve al confessore libera dalla clausura. [A margine: super hoc vide supplicationes et decretum diei 22 decembris 1740 in fine huius libri sub littera **R**] La ruota del parlatorio vecchio o sia del parlatorio comune si rinovi e si dilati un poco in forma propria e sicura, a fine di dar fuori per quella e non per la porta ciò che occorresse. Essendo neccessario che il confessore abbia una camera a suo uso ne casi di sua neccessaria dimora, questa si costruisce nella casa del gastaldo, avendo osservato potersi ivi comodamente fare. [148^v] Trovato nella chiesa interiore che il sito della communione è assai angusto ed incomodo, per evitare ogni inconveniente che nascer potrebbe, ordiniamo che si dilati ad opportuna capacità d'ogni persona, rimanendo intatto qual è il fenestrino. A fine di godere la loro libertà, inalzino un poco più la muraglia della porta delli carri per tutto quel tratto che possano coprirsi dalla sugezione delle case dirimpetto. Le due fenestrelle del granaro che riguardano la mura dell'Adige e la pubblica strada, o si otturino coll'aprire un luminario sul tetto o si muniscano di grade con forami spessi. Le grade del campanile che rimirano la mura dell'Adige e la strada verso la piazza s'innalzino un poco più e si assicurino. Le trombe esistenti alle fenestre delle cele verso la mura dell'Adige s'innalzino un po più, di modo che resti levato l'adito di veder fuori et esser vedute le monache. [149] Avendo bisogno di fabricare qualche cela, giudichiamo sito opportno esser quello sopra la panatana riguardante le mura dell'Adige, con le sue trombe alle fenestre nel modo sudetto. Osservata la corrisponsione del salario all'esatore esser eccedente a quella del confessore ordinario, assai tenue, riduciamo quello a ducati venti e stabiliamo questo in ducati pur venti, oltre l'ufficiatura del venerdi che al medesimo confessore le reverende monache assegneranno. Essendo rilevante la summa de residui da rascuotersi e ciò riuscendo di notabil pregiudizio al monastero, efficacemente incarichiamo la reverenda madre abbadessa e reverenda madre scrittora a invigilare per la pronta rascossione, per il qual effetto deputiamo l'assistenza del molto reverendo signor provicario di cotesto monastero e del signor Giovanni Battista Cavalcaselle, eccitando inoltre la vigilanza de signor protettore dello stesso monastero.

Raccomandiamo per fine alla carità della reverenda madre abbadessa di accrescere tra le loro possibili fare la [149^v] cibaria nel reffettorio e massime a sovenire secondo il loro bisogno le monache inferme. In fede et cetera. In visita del sudetto venerabile monastero li 11 giugno 1740. Giovanni vescovo di Verona.

Die dominico 12 mensis iunii 1740. Reverendus dominus Andreas Brighenti, confessarius ordinarius sanctimonialium venerabilis monasterii Sancti Bartholomaei Lemniaci ad suam illustrissimam et reverendissimam dominationem accessit et, ea qua decet deveneratione, nomine earumdem sanctimonialium plurimas gratias egit pro collato suae pastoralis visitationis officio; mihi vero Petro Mariae Regazzoni, procancellario visitationis, tradidit et enumeravit libras centum duas, ipsi illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo dandas pro procuratione suae visitationis propriis expensis habitae, quas ego recepi et eidem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo inde consignavi et ita et cetera. Idem vero illustrissimus et reverendissimus praesul die subsequente 13 dicti mensis iunii 1740 sui paterni amoris erga easdem sanctimoniales argumentum praebens ex sui animi largitate praedictas libras centum duas, ut supra [150] traditas pro debita procuratione, praesentibus dominis sindicis communitatis, tradidit et consignavit domino Ioanni Baptistae Cavalcaselle in beneficium dicti monasterii impendendos et maxime in exequendis ordinationibus praemissis in hac sua visitatione factis et ita et cetera.

[A margine: PORTO] Eodem die dominico, festo Sanctissimae Trinitatis, 12 iunii 1740. In iisdem aedibus parochialis Sancti Petri Portus Lemniaci antedictus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus comorans, cum hac mane suam pastorem visitationem eiusdem ecclesiae parochialis Sancti Petri praedicti aperire suumque in dictam ecclesiam parochialem publicum et solemnem ingressum statuisset, accesserunt domini deputati et electi communitatis Lemniaci, dominationem suam illustrissimam et reverendissimam honorantes et devenerantes nec non sacerdotes et alii viri principaliores dictae parochiae eorum obsequium praebentes, erga quos humanissime praesul suae benignitatis animum ostendit. Interim, omnibus recte dispositis, sub baldachino a quatuor praedictis communitatis dominis deputatis gestato receptus et super stratis pulvinaribus [150^v] genuflexus, deosculata cruce in egressu domus parochialis sibi ab admodum reverendo Francisci Gagioncelli archipresbytero pluviali induto oblata, processionaliter honorifica pompa, consueto decantato canticum *Benedictus* et cetera, ecclesiam ipsam adivit, in cuius limine facta super populum aquae benedictae aspersione, aspergillo accepto ab admodum reverendo archipresbytero receptoque ab eodem thurificationis honore, illam sonantibus organis aliisque honoribus praestitis solemniter ingressus est. Ante altare maius genuflexus, devote oravit illudque ascendit et, recitata titularis oratione, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de suo mandato, confessione praemissa, publicatam impartitus est. Ad thronum subinde venit sibi a cornu evangelii paratum ubi, duobus assistentibus et inservientibus reverendis sacerdotibus in dalmaticis, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio contiguo de more absolvit. Depositis apparamentis violaceis sumptisque albis, [151] debitis praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod servatur ad altare sanctissimi Corporis Christi a cornu epistolae ex marmoribus erectum, in tabernaculo pariter marmoreo et in pixide argentea intus inaurata. Hoc vero tempore visitationis, comodi gratia repositum fuit ad altare maius. Ex factis interrogationibus, debitis temporibus renovari et cum eodem die festo Corporis Christi solemnem haberi processionem comperuit. Habuit sub hac parochia Sancti Petri Portus animas quae sacram communionem sumunt 2000 numerari, in totum vero 2850 et nullam – Deo dante – fuisse in Paschate inconfessa eoque tempore communicatis distribui schedas. Lampas ante sanctissimum Sacramentum nocte dieque accensa manuteneatur, partim a societate eiusdem sanctissimi Sacramenti pro mensibus scilicet sex, partim a reverendis dominis clericis huius plebis pro mensibus scilicet quatuor, pro quo onere singulis annis solvunt [151^v] libras triginta sex et partim ab admodum reverendo domino archipresbytero pro duobus reliquis scilicet mensibus, qui providet etiam de cereis. Ex factis perquisitionibus cognovit insuper sanctissimum Sacramentum, dum contingit ad infirmos deferri, honorifice associari, praestitis ad hoc et manutentis duodecim luminibus a societate sanctissimi Sacramenti ac extare baldachinum, umbellam, pixidem, amygdalam, fanalia aliaque neccessaria et opportuna, quae ostensa visa fuere; populum ad hoc pium opus consuetis signis convocari et associantibus impartitas indulgentias publicari. Compertum denique habuit hanc parochialem ecclesiam divo Petro apostolo dicatam et esse plebem cum portionibus undecim clericalibus, quae clericatus nuncupantur et sunt beneficia simplicia, quarum una fruitur quoque admodum reverendus archipresbyter, ultra proprios redditus ad beneficium spectantes et confertur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo cessantibus reservationibus apostolicis, prout confertur etiam dicta parochialis ecclesia per concursum [152] iuxta formam sacri Concilii tridentini, qua servata forma illam obtinuit admodum reverendus dominus Franciscus Gagioncelli, modernus rector plebanus nuncupatus, cum bullis tamen apostolicis sub datum Romae 13 kal. decembris 1733. His actis,

quampluribus utriusque sexus christifidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum paterno suo amore ministravit. Reposito augustissimo Sacramento cum quo populo benedixit, ad thronum venit et, assistentibus ac inservientibus admodum reverendis archipresbyteris Englarri et Albareti in dalmaticis, devotam pro celebratione missae praeparationem emisit et, sacerdotalibus indutus, inter praestitos honores sacrosanctum missae sacrificium absolvit. Inde in pia gratiarum actione immorans, unius ex suis cappellanis missam audivit. Quibus absolutis, ad parochiales aedes se se restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 12 iunii 1740 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus, humillimis supplicationibus [152] sibi porrectis ab excellenti domino doctore Toninetti favorabiliter annuendo, delegavit illustrissimum dominum suum vicarium visitationis ut se conferat ad visitandum locum et situm in contracta Sancti Viti, ubi idem orator exposuit publicum oratorium erigere et referat ad hoc et cetera. Qui illustrissimus dominus vicarius visitationis, sibi commissis parendo, una cum praedicto excellenti domino doctore Toninetti, se contulit ad locum praefatum in contrata Sancti Viti et diligenter inspexit situm sibi indicatum in quo antedictus orator publicum oratorium cupit erigere illumque opportunum et aptum pro constructione eiusdem oratorii diudicavit, iuxta supplicationem praesentatam tenoris sequentis. Quatenus suae illustrissimae et reverendissimae dominationi placeat et ita et cetera omni et cetera. Tenor praedictae supplicationis talis est, videlicet quae in fillo “Oratoria” huius curiae episcopalis et cetera. Quibus habitis, ad suam illustrissimam et reverendissimam dominationem se restituit et ut supra retulit. Item vero illustrissimus et reverendissimus dominus antistes, honorifice concomitatus, in iam dictam ecclesiam parochialem [153] Sancti Petri descendit, quam per consuetas ceremonias ingressus est et, facta ante sanctissimum Sacramentum adoratione, in primis diligenter perquisivit de cultu, ordine et diligentia in excolendo pio ac necessario doctrinae christianae opere, quod iuxta regulas gubernari invenit. Inde populum, per solita signa convocatum, factis praecipue pueris ac puellis variis interrogationibus de misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem spectantibus paterna sua charitate examinavit et sufficienter instructum cognovit; plurimum tamen in Domino, cum tantum opus sibi maxime cordi sit, ad diligentiam, cultum et laborem hortatus est omnes et singulos, ditissimam a Deo optimo maximo mercedem recepturos. Indutus postea pontificalibus, duobus sacerdotibus in dalmaticis inservientibus, multo utriusque sexus populo Confirmationis sacramentum ministravit. Depositis pontificalibus indutusque rochetto et stola violacei coloris, visitavit: olea sancta, in arcula a latere evangelii ad hoc parata [153] reposita et in vasculis stanneis et argenteis servata et sub clavi custodita, quae quotannis renovata, veteribus combustis, recipiuntur a cathedrali Veronae. Sacrum fontem baptismi, in angulo ecclesiae a latere epistolae erectum, cancellis lapideis et rastris ferreis septum, bene et tute custoditum. Confessionalia in ecclesia exposita pro excipiendis sacramentalibus poenitentium confessionibus. Altare maius, divo Petro titulari ecclesiae dicatum, ex ligno elaborato confectum, cum portatili et statua eiusdem sancti Petri, in choro retro idem altare erecta; manutinetur ab admodum reverendo archipresbytero et est decore provisum; nullum vero extat onus missarum. Altare sanctae Agnetis, pariter ligneum cum portatili, piorum eleemosynis ab admodum reverendo archipresbytero manutentum, in quo nullum habetur legatum missarum, sed tantum ex devotione celebratur. Altare beatae Mariae Virginis a Salute, lapideum cum portatili, in quo ex donatione inter (vivos?) et suo testamento publicato die prima septembris 1737 firmata quondam Fidelis Morari extat onus [154] missarum duarum diebus festis et aliarum feriarum iuxta antedictam dispositionem, quae in totum implent numerum 520 circiter; eorundem cappellani sunt reverendus dominus Petrus Antonius Canton, sacerdos et venerabilis clericus diaconus Ioannes Canton, pro quo interim celebrat reverendus dominus Hieronymus Carezzati, sacerdos. Pro dictis officiaturis solvitur singulis annis summa librarum 31 pro praestatione suppellectilium et luminum admodum reverendo archipresbytero nec non tribuuntur candelae quatuor ponderis unius librae pro quaque in festo beatae Mariae Virginis a Salute et similiter quatuor eiusdem ponderis die resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ac intortitum ad libitum die commemorationis omnium Defunctorum. Die vero festo beatae Mariae Virginis a Salute cantatur missa ab admodum reverendo archipresbytero, pro qua eidem domini commissarii solvunt libras septem marculos sexdecim. Ibi ostensas vidit et recognovit infrascriptas sacras reliquias, videlicet: de ossibus sancti Ioannis Nepomuceni martyris in theca argentea ovata repositis, cum recognitione huius curiae diei 27 aprilis 1737. [154] De ligno sanctissimae crucis Domini nostri Iesu Christi. De velo in quo infans Iesus involutus fuit et de clamide sancti Ioseph, quae in theca crystallina sigillata servantur, publico huius curiae episcopalis documento diei 10 novembris 1736 munitae. Ex ossibus sanctorum Petri et Pauli apostolorum, in theca ex auricalco ovatae formae custoditis, cum patentibus huius curiae episcopalis diei 14 maii 1737. Ex palio sancti Francisci assisiensis existente in theca argentea, in hac curia episcopali recognita sub die 10 mensis aprilis 1736. Altare beatae Mariae Virginis a Succursu seu Animarum purgatorii, marmoreum cum portatili, de ratione societatis ipsarum animarum ibi existentis ex donatione quondam

reverendi domini Nicolai Sucelli, quae societas manutinet altare de omnibus et habet redditus valoris annui librarum 767.19.6, cum onere unius missae quotidianae ex legato quondam Magdalenae Steconi Fanti et missarum 95 in anno ex legatis Garcetta, Saccomano et Masotta, ultra alia onera descripta in policea exhibita et in fine huius libri posita sub littera S. [155] Altare beatae Mariae Virginis a Spasimo, seu Septem Dolorum, marmoreum cum portatili, in quo est onus unius missae singulis diebus festis, ex legatis quondam admodum reverendi domini Antonii Latancio olim huius plebis archipresbyteri et Sebastiani Cancellati, cuius officiatorum ad praesens est cappellanus reverendus dominus Ioseph Garzetta. In hoc altare custoditur sacra reliquia, caput scilicet sanctae Modestae martyris, dono datum ab ultimo defuncto huius plebis archipresbytero, quam sigillatam et pubblico instrumento huius curiae episcopalis diei 16 maii 1716 munitam inspexit et approbavit. Porro custoditur sub duabus clavibus, quarum una est poenes archipresbyterum et altera poenes magnificam communitatem Leniaci, quae ex assumpta obligatione solvit quotannis libras quatuor cerae elaboratae et tronos similiter quatuor in enumerata pecunia admodum reverendo domino archipresbytero. Altare sanctissimi Corporis Christi, ex lapidibus constructum a cornu epistolae altaris maioris, in quo in tabernaculo pariter marmoreo custoditur sanctissimum Eucharistiae sacramentum. Hoc altare est cum portatili et [155'] manutinetur de omnibus a societate eiusdem sanctissimi Corporis Christi, antiquitus erecta, quae fruitur annuo redditu ex livellis proveniente librarum 758.14, cum onere missarum 163 in anno nec non manutinet lampadem – ut dictum fuit – pro medietate anni ac intortitia pro honorifica associatione sanctissimi Sacramenti ad infirmos; qui annuus redditus patet ex policea exhibita et in fine huius libri sub littera S reposita. Altare sancti Ioannis Nepomuceni ligneum cum portatili, manutentum ab admodum reverendo archipresbytero piorum eleemosynis, in quo nullum habetur missarum onus, sed celebratur tantum ex devotione. Duas vidit sacristias, quarum una a latere evangelii altaris maioris est ad usum admodum reverendi archipresbyteri et altera a latere epistolae dicti altaris ad usum caeterorum sacerdotum et in eis visitavit sacras suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missae et sacris [156] functionibus peragendis et bene provisae ac tentas invenit. Vidit chorum et totam ecclesiam, organa et sugestum, in quo concionatur tempore Adventus et Quadragesimae per electum a communitate Lemniaci, benedictione et mandato episcopali obtento. Tandem vidit coemeterium contiguum et ad aedes parochiales restitutus quieti se dedit. Coram vero illustrissimo vicario visitationis comparuit admodum reverendus dominus Franciscus Gaggioncelli, sacerdos venetus aetatis suae annorum 62 circiter, rector plebanus nuncupatus huius parochialis ecclesiae Sancti Petri Portus Lemniaci, quam obtinuit per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini, cum bullis tamen pontificiis datis Romae 13 Kal. decembris 1738, quas ostendit una cum mandato vicariae foraneae diei 29 maii 1734, quo eidem subiciunt suprascripta sua parochialis ecclesia et ecclesia parochialis Sanctae Annae de Boschis, cum sacerdotibus et clericis; ostendit quoque libros parochiales baptizatorum, matrimoniorum, mortuorum et status animarum, quos lustravit [156'] et bene tentos invenit. Insuper praesentavit polliceas iuxta edictum visitationis, quas littera S signatas in fine huius libri reposui. Interrogatus de suo clero et populo, recte de utroque respondit et nihil habere de quo indoleat. Comparuit reverendus dominus Ioseph Garzetta, sacerdos huius parochiae circiter 39 suae aetatis annum agens, cappellanus ad altare beatae Mariae Virginis a Spasimo eiusdem parochialis titulo, cuius cappellaniae fuit promotus nec non curatus ipsiusmet parochiae, cum mandato episcopali pro hac cura die 10 maii 1740, ad annum confirmato, qui cum deveneratione sua mandata et requisita obtulit et eidem, visa, restituta fuere. Porro recitata ab illustrissimo et reverendissimo domino praesule una cum sua familia tertia parte sanctissimi rosarii cum litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. Die lunae 13 mensis iunii 1740. Illustrissimus et reverendissimus praesul, solitis honoribus prosequutus, in antedictam parochialem ecclesiam Sancti Petri Portus descendit atque, per consuetas ceremonias ingressa, [157] ante altare maius genuflexus pias preces Altissimo fudit et devotam pro celebratione missae praeparationem emisit; sacerdotalibus indutus, sacrosanctum missae sacrificium peregit et paterno suo amore sacram synaxim aliquibus utriusque sexus christifidelibus distribuit. Subinde in gratiarum actione pie se detinuit et, pontificalibus indutus, nonnullis utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Demum unius ex suis cappellanis missam audivit et ad aedes parochiales se restituit, in quibus quieti indulsit. Interim illustrissimus dominus vicarius visitationis, de mandato personali, visitationi incubuit; coram quo comparuerunt: reverendus dominus Leonida Zurla, sacerdos aetatis suae annorum 63 circiter, cappellanus ad altare sanctissimi Corporis Christi in hac parochiali ecclesia. Reverendus dominus Marius Zurla, sacerdos huius parochialis 50 circiter annos natus, cappellanus ad altare Animarum purgatorii et confessarius, cum [157'] mandato episcopali pro hac cura die 30 martii 1740, ad annum confirmato. Reverendus dominus Franciscus Baldo, sacerdos aetatis suae annorum 37 circiter, cappellanus ad altare Animarum et confessarius, cum mandato episcopali pro hac cura, heri ad annum confirmato. Reverendus dominus Marcus Lanzani,

sacerdos confessarius huius parochiae aetatis suae annorum 33 circiter, cappellanus officiatorum quotidianae Facini, in ecclesia sanctimonialium Sancti Bartholomaei. Reverendus dominus Petrus Antonius Canton, sacerdos de Lemniaco 33 circiter annos natus, cappellanus ad altare beatae Mariae Virginis a Salute in hac plebe, ad titulum cuius officiatorum fuit ad sacros ordines promotus. Reverendus dominus Ioseph Cappi, sacerdos placentinus, modo sub reverendo paracho comorans, aetatis suae annorum 54 circiter, suis dimissorialibus ad biennium die 22 martii 1738 concessis munitus, pro quarum confirmatione dixit iam scripsisse et ostendit mandatum huius curiae episcopalis pro celebratione missarum, [158] cui mandatum fuit ut quamcitissime novas suas dimissoriales curet; est cappellanus ad altare Animarum huius plebis. Reverendus dominus Ioannes Baptista Scartazzi, simplex sacerdos de Portu, 27 circiter annos natus, cappellanus officiatorum Garzoni in oratorio Sancti Nicolai sub hac plebe. Reverendus dominus Daniel Andreasi, simplex sacerdos huius parochiae; agit modo aetatis suae annos 29 circiter. Reverendus dominus Dominicus Pierfranceschi, simplex sacerdos huius plebis, aetatis suae annorum 25 circiter. Reverendus dominus Antonius Carezzato, sacerdos de Vico comorans sub hac plebe, aetatis suae annorum 60 circiter, cappellanus in oratorio Sancti Hieronymi infra limites huius parochiae Sancti Petri Portus. Venerabilis clericus diaconus Ioannes Canton de hac plebe, promotus die 19 octobris 1739; agit modo annos 23 circiter. Venerabilis clericus diaconus Ludovicus filius Petri Andreasi de hac plebe, aetatis suae annorum 23 circiter, qui dixit sua mandata adhuc extare in hac cancellaria episcopali, cui mandatum fuit ut iisdem quamcitissime se muniat. [158^r] Venerabilis clericus diaconus Aloysius filius domini Pellegrini Piccinali de hac plebe, aetatis suae annorum 24 cum dimidio circiter, promotus die 19 septembris 1739. Venerabilis clericus diaconus Alexander filius Dominici Graziani de Villa Bartholomaea, sub hac plebe studiorum causa comorans; agit modo aetatis suae annum 23 circiter. Facta hora nimis tarda, visis singulorum praedictorum sacerdotum et clericorum mandatis coeterisque requisitis, quae humiliter obtulerunt et eisdem restituta fuere, examen hoc personale reliquorum sacerdotum et clericorum post prandium distulit et prandium sumpsit. Die antedicta 13 mensis iunii 1740 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius visitationis personalem examen sacerdotum et clericorum hac mane inceptum prosecutus est. Coram quo comparuerunt: reverendus dominus Ioannes Baptista Salgarelli, sacerdos de Hortis 31 circiter annos natus, confessarius cum mandato episcopali die 10 novembris 1739 ad annum confirmato, cappellanus oratorii Sanctorum Viti et Modesti infra [159] limites huius plebis existentis. Reverendus dominus Hieronymus Carezzati, sacerdos de hac plebe aetatis suae annorum 28 circiter, confessarius pro hac cura cum mandato die hesternum ad annum confirmato, qui modo celebrat loco venerabilis clerici diaconi Ioannis Canton pro eius cappellania ad altare beatae Mariae Virginis a Salute in hac parochiali ecclesia. Venerabilis clericus Dominicus Andreasi filius Ioseph, diaconus huius plebis aetatis suae annorum 23, qui requisitus de suis mandatis dixit extare in hac cancellaria episcopali; eidem propterea mandatum fuit ut iisdem quamcitissime se muniat. Reverendus dominus Ioannes Maneghelli, sacerdos de hac plebe, confessarius cum mandato pro hac cura die 11 iunii 1740, ad annum confirmato; agit modo aetatis suae annum 32 circiter. Reverendus dominus Iacobus Nalini, sacerdos huius plebis aetatis suae annorum 29 circiter. Reverendus dominus Dominicus Iussini, sacerdos huius plebis 25 circiter annos natus. [159^v] Reverendus dominus Marcus Nalini, sacerdos de hac plebe aetatis suae annorum 34 circiter, cappellanus ad altare Animarum in hac parochiali ecclesia. Reverendus dominus Martius Avrese, sacerdos eiusdem plebis Sancti Petri Portus aetatis suae annorum 40 circiter. Venerabilis clericus subdiaconus Ioannes Baptista Meneghelli filius Dominici, aetatis suae annorum 22, ordinatus die 19 septembris 1739. Reverendus dominus Fabius Magnani, sacerdos de hac plebe 30 circiter annos natus, cappellanus oratorii Sancti Augustini *delle Ca' Nove* infra limites huius parochialis ecclesiae. Reverendus dominus Petrus Antonius Benaglio, sacerdos huius plebis aetatis suae annorum 34, cappellanus officiatorum quondam Magdalenae Steconi Fanti ad altare Animarum huius parochialis ecclesiae, ad cuius titulum promotus fuit. Reverendus dominus Marius Ornani, sacerdos in hac plebe Sancti Petri Portus aetatis suae annorum 32 circiter. Qui omnes, debita cum reverentia, suorum ordinum mandata et caetera requisita ostenderunt et ea visa [160] eisdem restituta fuere. Comparuit Cassandra uxor Dominici Porro aetatis suae annorum 60, obstetrix, quae per examen habilis et idonea pro ministrando sacramento baptismatis in casu necessitatis reperta fuit. Diligentes inde sumpsit informationes a pluribus fide dignis de vita, moribus et diligentia in suo munere fungendo admodum reverendi archipresbyteri et de vita et moribus sacerdotum et clericorum et quidem cum laude relatum fuit de reverendo domino archipresbytero et recte responsum fuit de ceteris sacerdotibus et clericis, Vidit demum domum parochialem, recenter reedificatam cum annis praeteris igne combusta fuerit. Quibus habitis, illustrissimus et reverendissimus dominus praesul, volens suae visitationi finem imponere, propterea visitationem infrascriptarum ecclesiarum simplicium seu oratoriorum infra limites huius parochialis ecclesiae seu plebis Sancti Petri Portus Lemniaci existentium, delegavit

fecendam admodum reverendo domino Francisco Gaggioncelli, eiusdem plebis archipresbytero, cui idcirco in huius visitationis munere [160^v] fungendo opportunam et necessariam facultatem dedit et impartitus est, eidem mandans ut diligenter in scriptis sibi commissam visitationem exaratam ad hanc curiam episcopalem transmittat et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: oratorii fra limiti di Porto] Ecclesiae seu oratoria, ut supra delegata, sunt videlicet: publicum oratorium Sancti Hieronimi extra moenia in contracta appellata *La Sarasina*, erectum a quondam admodum reverendo domino Hieronymo Carezzati archipresbytero, de ratione eiusdem familiae. Ecclesia seu publicum oratorium Sancti Augustini, in contrata nuncupata *le Ca' Nove*, piorum eleemosinis erectum, de ratione hominum dictae contratae. Publicum oratorium Sancti Benedicti in contrata vulgo *delli Ronchi*. Publicum oratorium Sanctorum Viti et Modesti in contrata eiusdem Sancti Viti, alias de ratione dominorum de Faraonibus, modo hominum dictae contratae. Publicum oratorium Sancti Nicolai bariensis in contrata vulgo *Boschetti* seu *Li Boschi Donadi* aut *Garzoni*. [161] Ecclesia seu publicum oratorium Sancti Marci evangelistae, in contrata vulgo *li Boschi Carnari*, de ratione nobilis viri Ioannis Corner patritii veneti. Inde urbanitatis officia ab illustrissima et reverendissima dominatione sua et ab illustrissimo et excellentissimo domino provisoro et capitaneo huius fortilitii Lemniaci per respectivos nuncios habita fuere et hinc inde dispensata publica forma, private se se personaliter inviserunt et reciproco amore consalutarunt. Porro in dictis aedibus parochialibus convenerunt domini sindici communitatis alique multi viri eiusdem loci nec non admodum reverendus archipresbyter et sacerdotes huius plebis ac alii eiusdem fortilitii et multa deveneratione ac obsequio cum gratiarum actione dominationem suam illustrissimam et reverendissimam cumularunt, quibus omnibus benigne exceptis suae humanitatis argumenta prebuit. Demum, recitata cum sua familia tertia parte sanctissimi rosarii ac litanis beatae Mariae Virginis, incoenatus pernoctavit. [161^v] Die martis 14 mensis iunii 1740. Illustrissimus et reverendissimus praesul, suam pastorem visitationem iam confectam de more clausurus, plurimum deveneratus, a magno sacerdotum et virorum loci Lemniaci concomitatu, in praefatam parochialem ecclesiam Sancti Petri Portus descendit et cum recitatione *De Profundis*, non solum huius plebis sed totam his in partibus, suam pastorem visitationem quadraginta unius dierum curriculo habitam feliciter clausit iterque suum inter praestita obsequia et honores Veronam per viam Bodoloni iurisdictionis suae episcopalis aripuit; quo incolumen – Deo dante – se restituit.

